Digitized by Google

VITA JOANNIS MABILLONII

Presbyteri & Monachi Ordinis S. Benedicti, Congregationis Sancti Mauri,

A THEODORICO RUINARTO

EJUS SOCIO

Olim Gallice ſcripta,

Nunc vero ab alio ejuſdem Congregationis Monacho in Latinum ſermonem translata,

Rerumque nova acceſſione aucta.

ex bibliotheca hospitii Romani
congregationis
Gallicanæ
strada

PATAVII, M. DCC. XIV.
Ex Typographia Seminarii.
Apud Joannem Manfrè.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Illuſtriſs. & Excellentiſs.

ALEXANDRO ALBANO
EQUITI ORDINIS HIEROSOLYMITANI,
MAGNO BAJULATUS ARMENIÆ PRIORI,

SS. D. N.

D. CLEMENTIS PAPÆ XI.
Fratris Filio.

Ogitanti mihi, cujus ſub auſpiciis prodire in lucem deberet vultus & animi ſui

imagine redivivus Mabillonius, Benedictinæ Familiæ decus, haud diu deliberandum fuit. Sive enim præcipuam, qua dudum Sodales noſtros totamque Congregationem dignaris, benevolentiam, ſive amorem illum, quo litteras litteratoſque omnes complecteris, ſpectarem, tibi præ cæteris uni nuncupanda illius acta exiſtimavi, ut nominis tui fulgore ornata clarius ubique luceant, adeantque felicius litterarium orbem.

Etſi vero attendenti ſigillatim eas animi dotes, quibus te affatim inſtructum ſuſpicit ac demiratur Italia, aut præcelſum illum, quem apud Supremum Eccleſiæ Principem, locum obtines, verendum erat, ne opellam hanc minimi ducere: eum nihilominus timorem levavit humanitas illa prope ſingularis, qua reliquas dotes ſic tem-

temperas, ut earum copia magnus, uſu major, contemptu maximus habearis. Neque enim is es, qui tuo demortuum Mabillonium patrocinio non dignum judices, quem viventem Sacra Purpura dignum non ſemel pronunciarunt claræ nec umquam interituræ memoriæ Cardinales Leander Coloredus, & Joſephus Maria Thomaſius non ſine bonorum omnium luctu, gravique Reipublicæ cum Eccleſiaſticæ, tum Litterariæ jactura nobis ereptus; quem litteris dignati Summi Sanctæque memor. Pontifices Alexander VIII., & Innoc. XII. in primis vero qui Chriſtianam hodie Rempublicam ſanctiſſime moderatur Clem. XI. P. M. a quo Mabillonius ſive ante, ſive poſt obitum nulla non accepit benevolentiæ, ac exiſtimationis argumenta; quem Rex

Chriſtianiſs. Ludovicus XIV. viros inter Regni ſui eruditiſſimos juxta ac modeſtiſſimos recenſuit ; cujus pietatem prope venerabatur Majoris Britanniæ Rex Jacobus II. cujus denique doctrinam cum ſingulari prope modeſtia fœderatam ubique mirati ſunt eruditi omnes.

Viro quidem modeſtiſſimo talem decebat ſortiri patronum, quem undequaque ſpectabilem reddunt & clari ſplendor generis, & Familiæ dignitas, & venerandæ Sanctiſſimi Patrui virtutes cum publicæ tum privatæ, quæ omnes in te ceu in ſpeculo expreſſæ conſpiciuntur, quibuſque Eccleſiaſtico miniſterio nuper addici meruiſti, dudumque jam fuiſſes addictus, niſi ad eas, quæ Melitenſem Equitem decent exercitationes animum aliquandiu divertere com-

compuliſſet temporum infelicitas, qua ceſſante, teipſum mox totum intermiſſis politiorum litterarum, ac rerum in primis Eccleſiaſticarum ſtudiis reddidiſti, & quidem eo animi ardore, ut repudiatis omnibus etiam licitis vitæ oblectamentis, ad hoc unum incumbere, id unum cogitare videaris, quo te Eccleſiaſtico miniſterio dignum, moribuſque Sanctiſſimi Patrui tui ſimilem efficias. Hinc ille omnium virtutum & exercitiorum ſpiritualium amor, diſciplinæ ſtudium, diſcendæ non minus quam comparandæ litterariæ ſupellectilis cura, cum lectiſſimis viris neceſſitudo, cum Purpuratis Præſulibus doctiſſimis, atque optimis commercium.

Cætera, quæ in te haud vulgari laude digna ſunt, nec te mediocriter ornant, egregiam

& ad optima quæque comparatam indolem, aſſiduam in ea excolenda rerum bonarum diſciplinis diligentiam, maturam in annis immaturis ſapientiam, præclaram de omnibus bene merendi voluntatem, lenitatem morum, modeſtiam prope ſingularem, vultum denique liberalem & apertum, litteras illas commendatitias præferentem, quas ajebat Plato quibuſdam a natura conceſſas, amoris ac benevolentiæ illices tacitus prætereo. Neque enim ea mihi dicendi vis, ea copia eſt, ut verbis exprimere valeam quæ de te, Abbas ampliſſime, probi quique ſentiunt, quæ ipſa ſuſpicit domina ac magiſtra gentium Roma, quæ in te demum amat is, cui non parere religio, in omnibus placere voluptas, proxime accedere felicitas, cujus denique ſequi conſilia, virtu-

tes

tes æmulari unum tibi ſtudium eſt.

Dum his porro commemorandis læta procedit oratio; ne ulterius pergat monet laudis impatiens, tibi, totique tuæ Familiæ innata modeſtia, jubetque ſic tecum loqui ut citra verecundiam æquis auribus ferre valeas. Præſtat igitur obteſtari te ut in ſinum tuum meo non magis ductu, quam ſponte ſua convolantem Mabillonium benigne pro more tuo ſuſcipias, ſub immortalis nominis tui præſidio altera immortalitate donandum; patiariſque eumdem Mabillonium noſtrum vel potius jam tuum & teſtem eſſe tuæ erga Sodalitium noſtrum benevolentiæ non vulgaris, & perenne ejuſdem in te obſervantiæ monumentum. Vale, Abbas Nobiliſſime, & de Republica Eccleſiaſtica & Litte-

raria

raria bene mereri perge. Ita vovet

Nobilitatis tuæ

Addictiſs. & obſequentiſs. Servus
D. C.
Presbyter & Monachus Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri.

TY.

TYPOGRAPHUS
Ad LECTOREM.

MAbillonium ſiquis ignorat, is in Rep. litteraria non eſt, vel in ea hoſpes eſt. Typographus certe ignorare non poteſt, a quo Viri polyhiſtoris opera identidem poſtulantur. Hinc factum eſt, ut cum de ejus Vita in publicam lucem edenda Vir literatiſſimus mecum egiſſet, negotium ſtatim arripuerim. Prodierat illa quidem non ita dudum Gallice ſcripta, ſed nec ea lingua communis eſt omnibus, nec tam multa per Italiam diſſeminata exemplaria fuerant, ut ingenti hominum deſiderio ſatisfacerent. Juvit ergo & Latinam edere, & multarum rerum notitia amplificatam, ut & noſtri haberent quod Galli, & Galli ipſi de ſuo Mabillonio a nobis diſcerent, quæ antea non norant. Adde huc cauſam conſilii mei ſane maximam, quod

Ty-

Typographiæ hujus Auctori Gregorio Cardinali Barbadico τῷ μακαρίτῃ, cui nihil unquam pro immortali meritorum genere ſatis tribuam, tribuere aliquid hac in re mihi videor, & ingentium beneficiorum memoriam grati animi ſignificatione renovare. Virum enim hunc amavit in primis Barbadicus, qui viros amabat omnes pietatis, ac litterarum laude ſibi ſimiles. Quam vero amaret inſigniter, non erit ſane difficile ex hoc ipſo libro cognoſcere. Fruamini illo, quo certe fruimini, veſtrorum laborum præmio, Sanctiſſimæ Animæ æterna ſocietate conjunctæ; fruamini divino ſapientiæ veſtræ fructu; fruamini pietatis, charitatis, virtutum denique omnium mercede illa; quam vobis unam contentione pari, mutuiſque auxiliis comparaſtis. Nulla jam loci, nulla conditionis diſſimilitudo ſeparabit & ſimul beatos, & æque beatos. In tuto res eſt. Sed quo me rapit animi ſenſus utrique devinctiſſimi? Ad inſtitutum redeo. Habes

hic,

hic, Lector, hiſtoriam elegantiſſimam, non ad unius hominis laudem, ſed ad multorum inſtitutionem exaratam. Hinc tibi probitatis exemplum, hinc ſtudiorum methodum, hinc rerum a doctiſſimo Viro ſcriptarum rationem, cauſſas, ordinem, quaſique compendium petito. Quibus ſi recte uti volueris, habebis tu quoque aliquando qui de te ſcribant. Vale.

NOI REFFORMATORI

Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la fede di revisione, & approbatione del P. F. Ambrosio Lisotti Inquisitore di Padoa nel Libro intitolato: *Vita Jo: Mabillonii Presbyteri & Monachi Ordinis S. Benedicti a Theodorico Ruinarto ejus Socio olim Gallice scripta, & ab alio in Latinum translata* non v' esser cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica; e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Prencipi, & buoni costumi, concedemo Licenza à Gio: Manfrè Stampatore, che possi esser stampato, osservando gli ordini in Materia di Stampe, & presentando le solite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Dat. 22. Marzo 1714.

(Francesco Loredan Kav. Proc. Reff.
(Alvise Pisani Kav. Proc. Reff.

Agostino Gadaldini Segretario.

Domnus Iohannes Mabillon Ord. S.
Benedicti Congr. S. Mauri Nat XXIII
Nouemb. MDCXXXII. Obijt 26. Decembr.
MDCCVII.

VITA
JOANNIS MABILLONII
Presbyteri & Monachi Ordinis S. Benedicti, Congregationis Sancti Mauri.

Ampliſſimo Viro

D. DUCI DE PERTH,

Majoris Britanniæ Regis JACOBI SECUNDI *Moderatori, ejuſdemque primo Cubiculario.*

TAmetſi defunctorum Monachorum acta publicam in lucem proferre, a Congregationis noſtræ moribus longe alienum ſit, Vir Clariſſime; votis tamen precibuſque tuis adductus, quæ patris ac magiſtri mei Mabillonii vitam ſimul & obitum ſpectant, brevi ac compendiario ſtylo lubens referenda ſuſcipio: arbitrorque fore neminem, qui perpenſis egregiis, iiſque quaquaverſus diſſeminatis Mabillonii in rem litterariam atque eccleſiaſticam meritis, virtutum ac doctrinæ ſplendore, hunc, quem ipſi deferri cupis honorem, ſit vel minimum improbaturus: honorem, inquam, tanto magis demortuo debitum, quanto viventi ſemper ingratum fuiſſe teſtatus ipſe non ſemel eſt. Enimvero

ob ſingularem, quæ in eo potiſſimum eminuit, animi modeſtiam, cæteris ſodalibus liberalius haberi detrectavit; ac ſæpe etiam ipſis longe inferiorem ſe geſſit; taliſque ut haberetur, vehementer ſtuduit.

Si quid igitur, Vir Ampliſſime, quominus voluntati tuæ morem geram, me teneat; id unum erit, quod tantæ ſuſcipiendæ provinciæ viribus me longe imparem ſentiam profitearque: at timorem ſimul & pudorem tollere ipſe videris: quandoquidem præclara, quæ vel ipſe vidi, vel ab aliis accepi Mabillonii geſta ſimplici nec fucato ſtylo me tibi narrare jubes. Nec certe diffitebor, cum ab ineunte mea ætate ſub tanti viri magiſterio eruditus, ſexque ſupra viginti annos rerum ab eo geſtarum teſtis fuerim oculatus, quin etiam multos ejus æquales, a quibus non pauca accepi, familiariter noverim; me ſi non cæteris ingenio parem, at in præſenti negotio fide digniorem videri.

Cæterum in hoc compendio, uti jam inter nos convenit, ea potiſſimum memorabo, quæ ad virtutes, eximiamque Mabillonii pietatem pertinent: ſi quid vero aut de iis, quæ in lucem emiſit, operibus, aut quæ Chriſtianiſſimi Regis, Præpoſitorumque juſſu ſuſcepit itineribus, obiter attingam; id certe ad illuſtrandas atque

que adſtruendas ejus virtutes, texendamque narrationis ſeriem a me dictum velim.

Ad ſui ſuorumque decus, nec non Benedictinæ atque Eccleſiaſticæ Reipublicæ ornamentum in Campaniæ finibus ortus eſt Joannes Mabillonius die XXIII. Novemb. MDCXXXII. ortuque ſuo Vicum Sancti Petri de Monte Remenſis Diœceſis, duabus circiter gallicis leucis a Muſſi ponte ſupra Moſam, Belvallenſem Abbatiam inter & nominatiſſimum Cartuſianorum Montis-Dei Cœnobium, poſitum, mirum in modum illuſtravit. Ibi ſacro fonte ablutum, quam in eo hauſerat vitæ innocentiam, ad mortem uſque illibatam cuſtodiſſe cum ex morum integritate, tum ex aſſidua gratiſſimaque baptiſmalis ſanctitatis memoria, ac ne illam pueri violarent, ſed continuo in Deum adfectu ſtudioſe foverent, ſingulari propemodum ſollicitudine, tum denique ex piis quas ea de re paſſim adhibere ſolebat adhortationibus, haud temere conjici poteſt. Fuere Mabillonio parentes Stephanus Mabillonius, & Joanna Guerin, ambo honeſto loco prognati; atque hoc uno maxime inſignes, quod inſignem adeo filium in lucem ediderint, omnibuſque ſtudioſe curaverint imbui Chriſtianæ vitæ documentis: ex quibus eorum in primis memor erat, quæ ab optima ſed præma-

1 Mabillonii ortus.

Mabillonii Parentes.

tura ſibi morte erepta matre adoleſcens acceperat. Vixerat Mabillonii Avus ſexdecim ſupra centum annos ; Pater vero quem anno ætatis centeſimo non ſine ſtupore vidiſſe me teſtor exquiſito judicio, roboreque florentem, annos vixit centum circiter octo. Ex multis porro quos iſte ſuſceperat liberis, ſuperſtes illi remanſit Mabillonius noſter, cum altero fratre, qui morum ejus ſuavitatem, vitæque innocentiam mirum in modum referebat ; quique ut pie admodum vixerat, pie ſimiliter quinquagenario proximus e vita migravit.

II Remos ſtudiorum cauſa mittitur.

Sub parentum oculis primis litterarum elementis, duce potiſſimum ac Magiſtro avunculo, cujuſdam vicinæ Eccleſiæ Parocho, primum inſtituitur Mabillonius ; ſubinde provectior factus, cum eum uterque parens litterarum peritum ac ingenuis artibus perinde ac virtutibus expolitum vehementer cuperet, Remos litterarium curſum peracturus mittitur : ubi non pecunia modo, quam pater ad id paraverat, ſuſtentatus eſt, ſed opibus etiam Clariſſimi Abbatis Boucher Remenſis Eccleſiæ Præpoſiti, ſimul & Regis ab eleemoſynis, qui illum ad ſtudia pergentem & domo & ſumptu, & quod plus eſt, animo liberaliter excepit. In hac eloquentiæ palæſtra mox præclari ingenii ſpecimen dedit, brevique cæteris ſoda-

dalibus longe antecelluit. Jam tum in Mabillonio elucebat ſingularis illa (quam poſtmodum tantopere ſuſpexere omnes) mentis ſublimitas ſagacitaſque ingenii, quæ magiſtrorum captabat amorem, ſimul & exiſtimationem ſodalium, nullam iſtis (ea erat ejus modeſtia, animique moderatio) invidiam concitans; illos vero, quorum ipſe nonnullos novi, ob magnos ad ſtudia progreſſus incredibili lætitia afficiens, adeo ut ab iis velut virtutis ac doctrinæ aſſequendæ exemplar cæteris ad imitandum proponi ſoleret: unde hæc ei, rara cæteris, felicitas contigit, ut ab omnibus ex æquo probaretur & amaretur: neque enim aut exiſtimationi officiebat livor, quem eximii ingenii dotibus ſuperabat; aut amori odium, cujus cauſas propenſiſſima de omnibus bene merendi voluntate procul amandabat. Necdum humaniorum depoſuerat litterarum tirocinia, cum primam publice dixit orationem; quam ſubinde non ſine auditorum applauſu excepere aliæ non paucæ: in primis vero oratio illa gratulatoria, qua, ut fertur, & ab ipſomet, ni fallor, accepi, Dominum de Nemours poſt initam Remenſis Eccleſiæ Metropolis poſſeſſionem, Academiæ gymnaſium perluſtrantem profecutus eſt: quo in commiſſo ſibi præ aliis munere obeundo, Archipræſulem

modo laudatum, omneſque auditores in ſui admirationem convertit.

III. In Seminarium Remenſe ſuſcipitur, ariſque devovetur.

Iis animi dotibus, quibus omnium ad ſe ſtudia animoſque rapiebat, ornatus adoleſcens Mabillonius, de graviſſimorum virorum conſilio aris devovetur; hujuſque rei gratia a Georgio de Aubuſſon per tonſuram clericali militiæ adſcribitur VII. Januar. ann. MDCLI. in Eccleſia Sanctimonialium Benedictinarum Parthenonis S. Petri. Anno proxime ſequente, ineunte Julio, Magiſtri artium laurea inſignitus, Theologiæ dat operam in Academia Remenſi; ſubindeque cum Sancti Patricii, tum Sandionyſiani Cœnobii magiſtros audit. Haud ita pridem locum obtinuerat in Remenſis Eccleſiæ Seminario, quod e Concilio Tridentino redux Cardinalis Lotharingius, illius inſtar Sancti Caroli Mediolanenſis, efformandis ad pietatem ac diſciplinam eccleſiaſticam Clericorum animis, inſtitui, extruique curaverat. Horum munus eſt in Eccleſia Metropolitana chori miniſterio per vices intereſſe; ex iiſque deinde non pauci ad varia Diœceſeos obeunda munia deputantur. Id porro officii eo libentius obibat Mabillonius, quo divinis inde officiis ſæpius adeſſe cogebatur; indeque vitabat continua laſcivientis juventutis diſcrimina. Diebus a ſchola feriatis,

eos

eos unos frequentare ſolebat ſtudiorum ſocios, quos noverat optimis vitæ moribus inſtitutos; cum iiſque lectitandis libris, qui vel ad pietatem vel ad ſtudia juvare magis poterant, libenter animum relaxabat. Suo muneri juxta ac Eccleſiæ miniſterio intentus, ejuſdem diſcendis ritibus, rebuſque in ea decantari ſolitis ſic animum adjecerat, ut ea pene omnia extremis etiam vitæ temporibus memoria teneret. id a me nuper ann. MDCCIII. non ſine ſtupore obſervatum in Aſſumptæ Deiparæ feſto; cujus prolixo licet ac ſolemni prorſus officio mecum adeſſe voluit; cujuſque ne verbum quidem aut ceremoniam ullam prætermiſit. Porro ſuſpiciens quanta cum dignitate, ſplendore ſimul & religione cuncta ibi ſacra peragerentur, incredibili pietatis ſenſu Deo Optimo Maximo gratulabatur, quod etiamnum perinde ac Superioribus ſæculis foret hæc conſpicua Metropolis, * cæterarum Galliæ Eccleſiarum norma & exemplar, ſive miniſterii majeſtate, ſive miniſtrorum modeſtia prope ſingulari.

* *Ivo Carnutenſ. epiſt.* 48.

IV Mabillonii pietas.

Nec officiebat is, quo in Remenſem Metropolim tenebatur, amor ac ſollicitudo, cæterarum urbis Eccleſiarum frequentationi, & earum maxime, quæ in excelſo Remenſis civitatis vertice ſitæ ſunt, quaſque Flodoardus ob locorum celebri-

tatem Basilicarum regionem nuncupare solebat. Quæcumque ibi aut scitu aut veneratione digna sunt, plane noverat; nec umquam ea loca sine pio quodam mentis adfectu aut brevi oratione pertransibat. Ea in primis erant, sepulchra Martyrum; Ecclesia S. Timothei, ubi ingens adservatur reliquiarum copia; subterranea S. Mauri cella, in quam, ut fertur, prisci Christiani convenire solebant; Sancti Nicasii tumulus; locus Martyrii Sancti Arnulphi; aliaque id genus monumenta variis in urbis regionibus, in miraculorum S. Remigii memoriam collocata. Clarissimum hunc Remensis Ecclesiæ Antistitem præcipuo pietatis cultu venerabatur Mabillonius; opem patrociniumque quotidianis precibus implorabat. nec perperam sane: ejus enim tumulum frequentanti primum Deo inspirante menti occurrit ineundæ vitæ religiosæ consilium. & quidem Remense Archicœnobium, in quo sacra Antistitis hujus ossa religiose adservantur, adeunti ita placuit quæ ibidem ducebatur religiosæ vitæ ratio, ut tunc eamdem amplecti, spretisque mundi illecebris Congregationi nostræ nomen dare constituerit: ad id potissimum consilii adductus fervore ac singulari prope Tyronum modestia, silentio, solitudine, morum integritate, præsertim vero tenero quodam, quem in ipsis mirabatur, quove, ut ipse testa-

Consilium init vitæ religiosæ amplectendæ.

ſtatus non ſemel eſt, ſummopere movebatur, naſcentis pietatis adfectu. Ne in hoc porro tanti momenti negotio temere quicquam moliatur Mabillonius, prius probare ſe, atque etiam explorandæ vocationis cauſa, ab iis quibus jam mentem aperuerat ſuam, probari voluit. nec diuturna probatio fuit. Siquidem Remenſis Archimonaſterii Prior Mabillonii conſilii conſcius, ejuſque cum enixis precibus, tum ardenti quo flagrabat ineundæ vitæ monaſticæ ſtudio, tum demum aſſidua nunc Eccleſiæ, nunc Cœnobii frequentatione permotus, illum brevi admiſſum voluit. Quis tum fuerit Mabillonii fervor, vel ex eo, quem quinquaginta poſt annis oſtendit, abunde colligi poteſt. mihi enimvero Remis cum eo moranti, atque ex murorum horti monaſterii, quos una circuibamus, aſpectu commotum advertenti, ingenue aperuit, incredibili ſe voluptate captum, quod ibidem accepta a Deo beneficia mente recoleret, ſibique videretur, ut ajebat, Remenſe Archimonaſterium tunc primum adire, vitæ religioſæ conſilium initurus.

Mabillonii fervor.

In hoc Remenſi Archicœnobio inter vitæ monaſticæ Candidatos, ſeu Poſtulantes, ut vocant, adſcitus die Sancti Joannis Baptiſtæ Decollationi ſacro (quem ideo quotannis tanti beneficii memor

V. Habitum monaſticum ſuſcipit.

pia

pia devotione celebrabat) monaſticum habitum ſuſcepit v. Sept. proxime ſequentis a P. Mummulo Gaufrido , qui tum magni Prioris munus obtinebat non ſine eximiæ apud cives omnes virtutis ac ſanctitatis laude , ab eo potiſſimum die , quo celebrato ad Sancti Remigii tumulum Miſſæ Sacrificio , filia Marchionis de Rothelin Remenſis urbis Præfecti, qua diu laborabat paralyſi, mirabiliter ſanata memoratur . Quæcumque in tyronibus illuſtria , pietatis ardor , rerum humanarum contemptus , & odium ſui, quia ſunt ipſi cum multis aliis communia, tacitus prætermitto . Evoluto probationis anno profeſſionem emiſit coram P. Vincentio Marſollio , qui non ita pridem Remenſis Archicœnobii Prior renunciatus fuerat; cujuſque venerandam prope memoriam, ac præclara in Congregationem noſtram merita nulla apud nos delebit oblivio . Hujus viri virtutes , præſertim vero ſingulare regularis diſciplinæ ſtudium tanti fecit Mabillonius , ut ea ſcriptis ſuis poſteritati commendare duxerit operæ pretium . Is generali Congregationis noſtræ præpoſitura diu ac ſumma cum laude perfunctus , mortalem vitam immortali commutavit in Monaſterio Sancti Germani a Pratis die v. Septemb. ann. MDCLXXXI.

Profeſſionē emittit.

Sub

Sub tanti, tamque religioſi Viri diſciplina eruditus Mabillonius tantum in virtute profecit, ut omnium in ſe converteret ſodalium oculos; moveret Præpoſitorum admirationem. Percepta ſic diligenter ſcientia pietatis, idoneus viſus eſt, qui aliis eam traderet. quare majorum judicio poſt emiſſam profeſſionem in Remenſi Archicœnobio per annos aliquot detinetur, quo ſuo Tirones exemplo ad pietatem animaret, vitæque monaſticæ perfectionis aſſecutionem; immo quod ipſi juniori licet creditum eſt, eos ad omnia monaſticorum exercitiorum officia effingeret, efformaret ad diſciplinam. Verum cum ejus, qui in dies augebatur, mentis ardori haud reſponderent fluxæ tenueſque corporis vires, graviſſimo capitis dolore aſſidue divexatus ſic debilitatur ſenſimque frangitur, ut qui aliis recte ſtudendi methodum traditurus erat, nullum ipſe ſtudii genus, ne divini quidem recitationem officii ferre poſſet. Id acerbe prorſus ferentes Majores noſtri, nullum non adhibent remedii genus, quo tantæ ſpei juvenem ſaluti reſtituant. verum cum nec monaſteriorum nec purioris cœli mutatione fieret inde melior corporis valetudo, id tandem excogitatur remedii, ut campeſtre aliquod monaſterium adeat; ubi ab omni prorſus ſive negotiorum,

VI Mabillonii in pietate progreſſus.

In morbū incidit.

ſive

ſive ſtudiorum ſollicitudine expeditus ad unam recuperandam ſalutem animum intendat. Eapropter ad Monaſterium B. Mariæ de Novigento ſub monte de Coucy Diœceſis Laudunenſis, hanc inter, & Sueſſionenſem urbem poſitum mittitur Mabillonius.

VII In monaſterio Beatæ Mariæ de Novigento commoratur.

Quam id acerbo animo remedii genus tulerit Mabillonius, facile quis intelligat, cum ex iis, quas initio abunde fudit, lachrymis; tum ex nobili, a quo diſcedebat, Remenſi Archicœnobio; in cujus auguſtiſſima Baſilica nihil ad officiorum ſplendorem juxta ac majeſtatem deſiderari videbatur: tum ex ſodalium, qua privari cogebatur, gratiſſima ſibi conſuetudine, ut deſertum iiſque pene omnibus vitæ ſolitariæ oblectamentis deſtitutum adiret Cœnobium; cujus Eccleſia ſolo pene æquata, inculta juxta ac incommoda ædificia ruinis miniſque pendentibus horrida; graſſantium hæreticorum furorem, luctuoſumque fatum Cardinalis Odeti Caſtillionei horrendum in modum præferebant. Eo advenienti Mabillonio ſex aut ſeptem occurrunt multa jam ætate provecti Monachi, ac proinde juvenili genio parum accommodati. Ea mutatione non parum mœſtus, priſtinæque memor felicitatis, ingratam ſui vicem per aliquod tempus amare deflevit. paulatim tamen huic

huic campeſtri vitæ aſſuefacto non parum arridere cœpit remota ab omni hominum frequentia Monaſterii ſolitudo; eamque præter expectationem ſuaviſſimam reddidere Sodalium ibi degentium ſincera in eum commiſeratio, intimuſque, quem ipſi certatim teſtabantur, amicitiæ ſenſus. Ibi porro favente interiuſque conſolante, qui pater eſt miſericordiarum & Deus totius conſolationis, ſic viliſſima quæque Monaſterii munia lætus obiit, ut multis poſt annis, quæ ibidem expertus fuerat cœleſtis gratiæ dona, non ſine quodam ſuavitatis ſenſu in mentem revocaret, amaretque interdum animi gratia ab amicis vocari, *Joannes de Nogent*. In hoc Cœnobio quatuor una die minoribus ordinibus ſimul & Subdiaconatu, ſubinde vero anno proxime ſequente Diaconatu in urbe Sueſſionenſi initiatur Mabillonius a claræ mem. Carolo de Bourlon ejuſdem urbis Epiſcopo. Interim Mabillonium acerbe adeo diſcruciant dolores capitis, totiuſque corporis incommoda, ut ad ſcientias licet omnes natus, vix alicujus ſtudio animum intendere valeat. elucebat tamen in eo ingenium ad præclara quæque comparatum; ac in primis innato quodam ſtudio in rem antiquariam adeo incitatum, nullum ut intra ac extra Monaſterium non move-

Minores Ordines cum ſacris ſuſcipit.

ret

ret lapidem ; nulla non monaſterii , vicinorumque locorum rudera , aliave , ſi qua detegendi ſpes affulgeret , antiqua monumenta ſollicitus indagaret . hujus rei ſtudio totius fere Eccleſiæ pavimentum effodiſſe narratur , ſpe potiſſimum ductus reperiundi tumuli clariſſimi Abbatis Guiberti , quem ibidem ſepultum audierat .

VIII Corbejam veterem mittitur.

Ubi porro Mabillonium ſacræ illuſtrandæ antiquitati natum , maximeque propenſum advertunt Præpoſiti noſtri ; Cœnobium , quo ſuo facile indulgere genio queat , cogitant , rati nec immerito fore ut id , quo tantopere oblectari videbatur , ſtudii genus , recuperandæ valetudini plurimum ſane conduceret . Eo conſilio Corbejam veterem inſigne agri Ambianēſis Cœnobium ann. MDCLVIII mittitur . Ibi ferendæ regulari obſervantiæ viribus longe impari Mabillonio , janitoris , totiuſque Monaſterii rerum diſpenſatoris officium traditur ; ut vel utriuſque muneris ſollicitudine , motibuſque pene continuis ſanaretur , vel ſaltem remitteretur , quo laborabat , dolor capitis . Nec mirere lector , ſi ad ſummá natus Mabillonius , vilibus adeo Cœnobii curis deputatus ſit : ipſe enim vilioribus mirifice tenebatur ; eorumque frequentem copiam ſibi quotidie poſtulabat . ſiquidem exorſus ab humilitate & deſpi-

cien-

cientia ſui, hoc indagabat unum, quo maxime ſe abjiceret, aliiſque contemnendum præberet. Ea porro erat de reficienda ejus ſalute majorum cura anxiaque ſollicitudo, ut ne ad excipiendas quidem Philoſophiæ aut Theologiæ lectiones vellent ab eo ſcholas frequentari; ne forte morbus ingraveſceret, ſtudiorum contentione, cæterum commiſſa ſibi prædicta Monaſterii munia eo libentius amplectebatur, quod pauperes, ad quos propenſo animo ferebatur, reficiendi, ac familiariter alloquendi occaſionem ſuppeditarent. Et vero is erat ejus in pauperes amor ac commiſeratio, ut quamvis Magnatibus, apud quos plurimum valebat, quemquam commendare ut plurimum refugeret; iis tamen juvandis ſuam apud eos autoritatem ultro impendere non dubitaret, Chriſti memor dicentis: *Quæ uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.*

IX Ad Sacerdotii promovetur.

Anno MDCLX. die XXVII. Martii in pervigilio Paſchatis a Franciſco Faure Ambianenſis Urbis Antiſtite ad ſublimem Sacerdotii gradum promotus. Non inde tamen animo elatior, ſed obeundis potius humilitatis caritatiſque officiis longe ferventior viſus eſt, ac religioſæ ſtudioſior pietatis. Etenim vel lectitandis libris tam ſublimi miniſterio congruis, vel exercendis religionis operibus ſe totum

tum dabat. unde plenior Deo, inde humilior; inde ad obedientiam, cæteraſque vitæ monaſticæ virtutes paratior; inde demum caritas ejus vivacior novos ſumpſit ignes ad amandum ſupremum Numen, cujus Sacerdos initiatus fuerat. Neque vero retardabat illa rerum externarum ſollicitudo ſtudiorum curſum, aut Theologicarum, quibus interdum intererat, concertationum frequentiam. In his porro ſic eminebat Mabillonii ingenium, ut quæcunque inter diſputandum proferret, non tam a diſcipulo, cujus nomen amabat, quam a Magiſtro prolata viderentur. In primis autem libenti animo frequens perluſtrabat Corbejenſis Cœnobii Bibliothecam, antiquis, quæ ibi adhuc adſervantur, quibuſque olim claruit, monumentis, manuque exaratis codicibus inſignem. Iis evolvendis etſi ob afflictas vires haud diuturnam operam dabat: inde tamen vel minimam eruditionis partem cum colligeret, mirum in modum lætabatur. In ſingulis, quæ perluſtrabat, ſive noſtræ ſive aliarum Congregationum monaſteriis, prima ei cura præcipuumque ſtudium erat, de illorum hiſtoria, viris illuſtribus, ſanctis locorum ſimul & Eccleſiarum patronis ac tutelaribus, eorumdemque reliquiis erudiri. & certe præclaris Corbejenſium Monachorum geſtis

mirum in modum permotus, ſingula illorum acta, ac ea maxime, quæ illos poſteris tantopere commendaverant, ediſcere voluit: præ cæteris vero impenſius hiſtoriæ ſtuduit Adalhardi, qui ſpretis rerum mortalium blandimentis; ac ipſam quoque Carlomanni, cujus germanus erat, aulam regiam pertæſus, in Corbejenſi Cœnobio libertatem abdicavit.

X
Saluti reſtituitur.

Hujus quam Sanctus Gerardus Corbejenſis undecimo ſæculo Monachus adornaverat, vitæ lectione, in ſpem recuperandæ ſalutis adducitur Mabillonius. ubi enim eam percurrenti compertum eſt Gerardum modo laudatum ob negotiorum peritiam, rerum temporalium curis ab Abbate deputatum, iiſdem (quæ tum peſſimo loco erant) redintegrandis nimio ſtudio ac labore fractum, perperamque adhibitis remediis, una Sancti Adalhardi interceſſione priſtinæ ſaluti mirabiliter reſtitutum fuiſſe; ſtatim ejuſdem opem implorandam ſibi propoſuit, ejuſque patrocinio omnia ſe conſecuturum ſperavit. nec vana ſane fuit ſpes. licet enim neque illico neque miraculo, (non enim id ſibi pollicebatur) ſanitatem ſit aſſecutus: exinde tamen paullatim levari ac remitti, quibus dudum conflictabatur, dolores capitis; ſtudiis denique paullo expeditior fieri. Tanti, dum vixit,

beneficii haud immemor Mabillonius, Adalhardum præcipua pietate coluit; utque ſe accepti beneficii memorem præberet, Gerardi (qui præter vitam, antiphonas & reſponſoria in ejus honorem concinnaverat) exemplo ductus, hymnos ipſe quoque condidit, qui etiam nunc in Adalhardi feſto, in Eccleſia Corbejenſi decantari ſolent. Quantum præclaris hiſce in Adalhardum laudibus hymniſque glorietur vetus Corbeja, vel ex duorum auctorum, quibus præſtantiorem habuit neminem, vitæ doctrinæque meritis facile quiſque conjiciat. Hymnis modo laudatis alios ſubinde in laudem Auguſtiſſimæ Sanctiſſimæque Reginæ Bathildis (cujus munificentia ac pietate conditum legitur Corbejenſe Cœnobium) ſuadentibus Præpoſitis ſuperaddidit, una cum multis huic Monaſterio propriis officiis; quæ vel de novo edidit, vel inſtauravit. Hæc omnia in unum collecta typis edita ſunt, interque primos Mabillonii partus, quos poſtmodum excepere longe uberiores jure ac merito recenſeri poſſunt.

Hymnos in honorē S. Adalhardi condit.

XI Rerū temporalium curis præficitur.

Obtinebat tum temporis Mabillonius depoſitarii, ſeu diſpenſatoris officium in Corbejenſi Cœnobio; cum de Præpoſiti judicio ob affectam valetūdinem, qua ſtudiis impar omnino putabatur, ac probatam vitæ integritatem, Cellerarii munus, rerum ſcilicet totius monaſterii tem-

po-

poralium ſollicitudo ei committitur. Quod ſane munus ob ingentes vaſtiſſimaſque Cœnobii ditiones longe licet honorificum, quanto cæteris acceptius, tanto illi moleſtius accidit. Terrebat namque in eo munere ingens ac multiplex negotiorum moles; frequentiorque cum ſæcularibus, iiſque clariſſimis, a quibus plurimi æſtimari jam cœperat, regionis hujus hominibus conſuetudo; de quorum mundano pulvere non ſordeſcere religioſa corda difficillimum. vitam præterea ſolitariam, etiam non ſine valetudinis diſcrimine, ſeverioris diſciplinæ obſervantiam frequenti gratiſſimoque hominum conſortio longe anteponebat: mallebatque (ſi quæ ſaluti recuperandæ neceſſaria forent) quæ ſibi ante commiſſa fuerant janitoris ac diſpenſatoris officia: per ea quippe pauperum, quos impenſe diligebat, frequentiam, conſuetudinemque ſibi curabat. Muneris hujus impatiens nullum non movet lapidem, quo ab eo abſolvatur: qua in re ſemel tantum in vita Præpoſitorum ſuorum voluntati repugnaſſe, atque apud illos expoſtulaſſe obſervatum eſt. Inſolens ſane atque Præpoſitis non parum accepta religioſa hujuſmodi expoſtulatio. *Felix*, inquit Doctor Melliſluus, *felix domus, in qua Martha de Maria conqueritur. nec ad tumultuoſam rerum temporalium curam adſpiratur*: *Bern. Ser. 3. de Aſſumpt. B. Maria.*

ſed tranquilla Mariæ contemplatio, turbis Marthæque ſollicitudinibus longe anteponitur.

XII. Ad Sandionyſianũ Cœnobium mittitur.

A rerum tandem temporalium curis vel intra ſex menſes non ſine ingenti animi gaudio abſolutus, reliquam vitam dilectæ ſolitudini conſecrat; fati ſui futurique apud litteratos omnes nominis plane neſcius. haud ita poſt in regalem Sancti Dionyſii Abbatiam prope Pariſios miſſus, ne extra monaſterium pernoctare cogatur, ſeptem ſupra decem horarum iter una die pedibus conficit ſarcina onuſtus, quam laudabilem ſubinde conſuetudinem, ex quo primum Pariſiis verſari cœpit, conſtanter tenuiſſe varia docent, quæ ſuſcepit, itinera in Belgium, Campaniam, Burgundiam, nec non quamplurima, quæ aut negotiorum aut ſtudiorum cauſa perluſtravit, Congregationis noſtræ Monaſteria. Subinde autem Cœnobia peragrans, quo commodius iter ageret, vectura, aut equo, ſi quis interdum quo pergebat reducendus erat, utebatur; ſummopere curans, ut, quam adhibebat, vectura ſimplicitatem præferret, ac profeſſionis monaſticæ paupertatem.

XIII Mabillonii curæ.

In Sandionyſianum Cœnobium advenienti Mabillonio circa menſem Julium ann. MDCLXIII ibi per annum Cimeliarchæ munus committitur: quo in munere obeundo non parum otii impendi-

tur

tur ac laboris, ob ingentem videlicet omnis hominum generis frequentiam, qui veneranda Regum noſtrorum monumenta viſundi ſtudio adducti, eo aſſidue confluunt. Ad id muneris ſacras licet Præpoſitorum rogatu conciones ſuperadderet ac Catecheſes, quæ per totum anni curriculum in Eccleſia Sandionyſiana ad populum haberi ſolent: haud tamen a ſolitis Theologiæ concertationibus aberat: immo ſæpenumero ſcholas frequentabat. id vero permirum omnibus videbatur, eum, etſi non alia quam Remenſis Academiæ ſuſcepiſſet Theologica documenta; atque ob infirmam valetudinem ſeriis jam dudum ſtudiis nuncium remiſiſſet, Sanctorum tamen Eccleſiæ Patrum, lectiſſimorumque auctorum perfecte adeo noſſe opera, ſenſus intelligere, ſententias aperire, deque rebus Theologiæ difficilioribus alte adeo juxta ac erudite diſſerere. Sic porro varia illa munia, quin etiam divina, atque in hoc Cœnobio maxime prolixa officia implebat Mabillonius, ut ſtrenuam aliis ſtudiis operam navaret. Siquidem tunc D. Bernardi opera cum manuſcriptis codicibus conferre, atque ad eorumdem fidem expurgare cœpit: eoque labore de ſodali, qui novam ejuſdem Bernardi operum adornabat editionem, bene ſe mereri putabat, cum non ita poſt, eo vita functo, pro-

prii laboris fructum ipſe deguſtavit, ut mox videbitur.

XIV Pariſios venit, ſociuſque datur D. Lucæ De Achery.

Tantis, quæ in dies magis ac magis elucebant, animi dotibus exornatus, ſpeque non vulgaris progreſſus commendatus, ſtudiis, ad quæ ferebatur, de Præpoſitorum judicio devovetur. Præerat tunc temporis Sangermanenſi Bibliothecæ, pluribus iiſque egregiis operibus celebris D. Lucas De Achery: jamque nonnulla probati omnibus Spicilegii volumina vulgaverat, cum ob affectas vires ac provectam ætatem, optimæ ſpei juvenem, qui laboranti opem ferat, ac ipſo quoque deficiente, cœpta jam opera perſequi valeat, poſtulanti, mox ſine mora communi Præpoſitorum ſuffragio traditur Mabillonius: qui ſtatim e Sandionyſiano Cœnobio ad Sangermanenſe vocatus circa menſem Julium ann. MDCLXIV reliquo edendo Spicilegio non parum ſubſidii contulit. inchoatam tamen in Bernardi libros operam non intermiſit: immo in ſcrutandis ac excutiendis manu exaratis codicibus, eam diligentiam ac ſollicitudinem adhibuit, ut defuncto D. Claudio Chantelou (qui ſelectiores Bernardi Sermones uno volumine comprehenſos publici juris fecerat; novamque parabat reliquorum operum editionem) iiſdem continuandis præfici meruerit. Hæc ubi abſolvit, non prius

Novam Bernardi editionem adornat.

in

in lucem emissa voluit, quam edito prospectu ann. MDCLXVI. de ratione, operisque consilio monitos fecerit litteratos omnes; ut si quid in Bibliothecarum forulis ineditum occurreret, significarent: si quid in privatis commentariis haberent singulare, liberaliter conferrent in publicum: si quid denique ab eo in hoc opere parum consulte institutum, humaniter renunciarent. Ita siquidem comparatus erat Mabillonius, ut Sapientum judicio nec ægre, nec sine grati animi significatione deferret. His peractis, duas simul Bernardi operum editiones publicam in lucem emisit: unam scilicet duobus in folio tomis comprehensam: alteram vero novem in octavo voluminibus. Utramque ubi incredibili plausu, nec minori animi voluptate percurrit eruditissimus Joannes Bona, tunc temporis reformatorum Italiæ Fulienſium Generalis Abbas, adeo probavit, ut auctorem eximiis laudibus prosecutus, litterisque plane humanissimis ad continuanda hujusmodi studia toti Ecclesiæ profutura vehementer hortatus, Alexandrum VII Pontificem maximum de operis præstantia atque utilitate monitum illico voluerit. Ex eo tempore Romæ celebrari, indeque per totum litterarium orbem disseminari cæpit Mabillonii nomen. & re quidem ve-

ra in adornanda Bernardi editione, præclarum adeo cum accurati ingenii, exquisitique criterii, tum eximiæ doctrinæ ac sagacitatis specimen dedit, ut viros inter ævi sui doctissimos brevi recensitum iri dubitaverit nemo. Distributis pene omnibus prioris Bernardi editionis exemplaribus, amicorum rogatu, alteram edendam suscepit: editamque ann. MDCLXXXX ac multis iisque novis illustratam animadversionibus, quin etiam nonnullis quibus emendatior, locupletiorque fieret, ineditis operibus auctam, Sanctæ memoriæ Alexandro VIII Pontifici maximo nuncupavit. Tertiam insuper Bernardi editionem prioribus longe castigatiorem cogitabat Mabillonius, cum cœlo maturus nobis ereptus est. cæterum ex hujus operis fama, atque omnium prope litteratorum, exterorumque plausu non parum permoti Superiores nostræ Congregationis, alias Sanctorum utriusque Ecclesiæ Patrum pro viribus promovere constituunt: & quidem eo successu, quem non modo eruditi quique, sed & Ecclesiæ Præsules non semel gratulati sunt: quemque ipse litterarum ac litteratorum fautor beneficentissimus Clemens XI Pontifex maximus, decessorum suorum exemplo, laudibus litterisque apostolicis, nedum patrocinio prosequi non est dedignatus.

A pri-

XV Acta Sanctorū Ordinis edit.

A primis inſtitutæ noſtræ Congregationis temporibus integram omnibuſque numeris abſolutam totius Benedictinæ Reipublicæ hiſtoriam meditabantur Majores noſtri : operoſum ſane nec exigui ad Ordinem immo & Eccleſiam momenti conſilium : unde quoniam non unius anni res erat ; tantæque molis opus accuratam poſtulabat rerum monaſticarum notitiam : idcirco per diverſas Congregationis noſtræ provincias deputati identidem monachi ; qui diligentiſſime Bibliothecas excuterent ; vetuſta monaſteriorum atque eccleſiarum legendaria ſedulo evolverent, exſcriberentque : ſummo denique cum delectu vetera monumenta colligerent. Faſciculis magna ex parte congeſtis, promptiſque fere omnibus concinnandæ huic hiſtoriæ opportunis documentis, tantæ molis operi, ſuadente in primis Præfecto noſtro Generali D. Bernardo Auddeberto, manum admovit Mabillonius. Ab actis porro SS. Ordinis inchoandum ſuaſit cum amor ſacræ antiquitatis ſimul & veritatis ; tum maxime ut Benedictini Ordinis alumni Majorum ſuorum exempla in promptu habeant, & novella Congregationis noſtræ Soboles ad eorum normam ſtudeat mores componere ſuos : tum etiam ut autographa huic Collectioni inſerta, elaborandæ, quam Præpoſiti me-

dita-

ditabantur, generali hiſtoriæ inſerviant. De ratione operiſque conſilio per encyclicam epiſtolam ſuo ſimul & Patris Acherii nomine inſcriptam, præmonitis litteratis omnibus, mox huic operi diligentem adeo curam adjecit, ut ſequenti ann. 1668 primum volumen publici juris fecerit. Sub hoc titulo: *Acta SS. Ordinis Sancti Benedicti in ſæculorum claſſes diſtributa.*

XVI In aliorum opera ſuos labores cōfert.

Nec officiebat opus illud quamvis immenſum, quominus cæteris Sodalium operibus manum præberet adjutricem; Acherii præſertim Spicilegio, cujus ab ſuo in Sangermanenſe Cœnobium adventu ſeptem jam volumina typis ſubjecta fuerant, ac Sancti quoque Petri Cellenſis operibus ann. 1671. evulgatis, quorum editionis ceu autor jure haberi poteſt: quippe præfationes, nec non epiſtolam nuncupatoriam elaboravit; totiuſque edendi operis curam habuit. uno verbo perinde ſodalium curabat opera, ac ſi ipſe nulli proprio operi fuiſſet intentus: ſic ſuis animum intendebat, ceu nullam alienis manum admoviſſet. Multa præterea, prout ſe dabat occaſio, minoris licet momenti illum elucubraſſe abunde docet oratio cunctis tantopere probata, nec ſemel ann. 1666 edita, quam in defunctæ Auguſtiſſimæ Galliarum Reginæ Annæ Auſtriacæ laudem adornavit. Sic

tempora, ſic momenta omnia moderabatur, nihil ut vacuum in vitæ decurſu remaneret; vitæque vix indulgeret neceſſitatibus. Surgebat de more hora poſt mediam noctem ſecunda; & ad prandium uſque ſtudium protrahebat, nullo niſi Miſſæ ac ſolitæ orationis interjecto ſpatio. Reliquum diei otium ſtudio quoque impendebat, nullaque adhibita animi relaxatione, ad multam uſque noctem producebat. Id autem non vulgari laude dignum in Mabillonio videbatur, quod totum licet in ſe ſuſciperet ſtudii ac laboris onus, in partem tamen adeptæ ex utroque gloriæ ſocios ſecum vocare non gravaretur.

Mabillonii modeſtia.

Hujus, qua poſtmodum tantopere commendatus eſt, modeſtiæ eximia cum eruditione conjunctæ ſpecimen videre eſt in prioris Actorum Ordinis tomi præfatione: quam ſic modeſte inchoatam voluit: *Acta*, inquit, *SS. Ordinis S. Benedicti unum in corpus redigenda, tandem Deo duce adgredior: non quidem autor, ſed adjutor operis: non primarius Architectus, ſed miniſter ſuccedaneus*. Quid plura? in ſingulis Actorum eorumdem tomis, Acherii nomen ſuo præponi voluit. Et quidem ea erat in Acherium Mabillonii obſervantia, is affectus, ea exiſtimatio, nihil ut eo inconſulto adgredi auderet; nulla non ipſi præſtaret humanitatis atque

Mabillonii in Acherium obſervantia.

que urbanitatis officia, eo uſque ut eum non ſemel in die officioſe inviſeret; ægrotanti opem ferret aſſiduam; ſtatis atque ipſi opportunis horis ſacrum coram eo faceret; deſcriberet epiſtolas; mira ingenuitate juſſis obtemperaret; nihil denique reliquum faceret, quo ſe tam venerabili viro, magiſtro ſimul & amico ad mortem uſque, gratum ac memorem exhiberet.

XVII Acta Sanctorū proſequitur.

Primo Actorum Ordinis tomo, non mediocri eruditorum omnium gratulatione excepto, continuandis reliquis animum appulit Mabillonius; ex quibus jam novem prodiere tomi, qui SS. Monachorum geſta ab Ordinis exordio, nempe a ſæculo ſexto ad undecimum comprehendunt; quoſque ad operis complementum decimus brevi excipiet. In hac porro Actorum collectione, quamplurima, eaque ſcitu digniſſima reperiuntur opera, ex quibus nonnulla hactenus inedita; alia vero ad antiquorum exemplarium aut MSS. fidem diligentiſſime expurgata ſunt. Cæterum quamvis, ut jam ab initio aperui, de Mabillonii elucubrationibus ſigillatim diſſerere non ſit animus: viros tamen eruditos hic monendos duxerim, multa in Actis SS. Ordinis contineri, quæ haud ſatis pro merito æſtimari poſſunt, eccleſiaſticæ juxta ac profanæ hiſtoriæ monumenta. Taliæ

in

in primis sunt Acta & Vita autographa Sancti VVilfridi Eboracensis Archiepiscopi octavo sæculo adornata : ubi Dagoberti Austrasiorum Regis luculenter enucleatur historia , horrendus interitus ; quive fuerint nefandi adeo sceleris conscii optimates. Ritus præterea exponuntur peculiares in ordinandis apud Gallos Episcopis observari soliti : Acta insuper Conciliorum eruditis hactenus incognita: plura denique perutilia atque observatu dignissima. Nec certe ad illustrandam Secundæ Regum nostrorum Stirpis historiam minoris momenti duxerim Vitam VValæ Carlomanni Imperatoris germani ; qui rejectis aulæ illecebris pompisque regalibus , fratri Adhalardo Corbejensis Cœnobii Abbati suffici promeruit. qui enim vitam hanc concinnavit , Paschasius Radbertus multa , quæ litteratos hactenus latuerant , de Ludovici Pii depositione in lucem profert : atque ut testis oculatus quæcumque in excipiendo Gregorio IV Summo Pontifice gesta sunt, accurate commemorat.

Monumentum porro istud ob ementita nomina , quæ in ejus vita describenda , auctor prudenter tum usurpare coactus est (non enim tam execrandi facinoris conscios magnates palam nominare est ausus) obscurum adhuc ac prorsus implicatum luculenter adeo aperuit

dilu-

dilucidavitque Mabillonius, vix ut huic illuſtrandæ hiſtoriæ quidquam reperiri nunc queat aut præclarius, aut opportunius. nihilo minoris æſtimanda videtur hæc Actorum Ordinis noſtri Collectio ob eruditiſſimas, notiſque paſſim & obſervationibus illuſtratas, quæ in cujuſque voluminis fronte leguntur, præfationes. ibi namque præcipua cujuſque ſæculi hiſtoriæ momenta ſcite juxta ac concinne inſerta, atque accurate collecta: ibi cum religionis tum eccleſiaſticæ ac monaſticæ diſciplinæ paſſim elucidatæ difficultates legentibus non ſine magna Scriptoris admiratione, ac laude occurrunt.

Præfatio primi ſæculi Benedictini.

Et quidem in prima prioris ſæculi Benedictini præfatione, expoſito propoſiti ſui ordine, nonnulla expendit, quæ, cum diligentiorem tractationem exigerent, in quoſdam articulos appoſite diſtribuit. in quorum primo ſtrictim agit de monaſticæ vitæ origine ac progreſſu in Regionibus occidentalibus, in Italia videlicet, Gallia, Gothia, Hibernia, Illirico, & Hiſpania: quæ ſolæ ex Europa nationes Monachiſmum ante S. Benedictum ſuſcepiſſe videntur: dein de regulis illic obſervatis, deque variis in Italia, Africa, Galliiſque conſtitutis Monachis: ex quibus celeberrimi ſane fuere, apud Inſulam Barbaram Lugdunenſes, apud Lerinum Lerinenſes, apud Maſſiliam Maſſilien-

ſilienſes, duce ac inſtitutore Joanne Caſſiano, qui ſæculo quinto in civitate Maſſilienſi inclytum Aſceterium ædificavit: ac quinque millia monachorum rexiſſe memoratur: Condateſcenſes in locis Jurenſibus, Autiſiodorenſes a Beato Germano inſtituti, Divionenſes Sancti Benigni, Ternodorenſes apud Burgundiones, Menatenſes apud Arvernos, Miciacenſes Aurelïæ, Grinniacenſes Viennæ apud Delphinas, Agaunenſes Octoduri. 2. inquirit de tempore obitus Sancti Benedicti, de quo non una ſemper fuit omnium ſententia; de regulæ ſuæ promulgatione & propagatione ſæculo ſexto feliciter facta; ubi mentem ſuam de vulgata ipſius ad Sanctum Remigium Remorum Epiſcopum Epiſtola aperit. 3. de Sancta Scholaſtica diſſerit, quam Virginum Benedictinarum ducem, magiſtram, & anteſignanam libere pronunciat, deque Benedictinæ Regulæ uſu etiam ad Virgines Deo Sacras tranſmiſſo, atque in Gallias a Sanctimonialibus per Donatum Veſontionenſem Epiſcopum circa annum DCXX recepto. 4. de Sancti Placidi miſſione in Siciliam, ac de ejuſdem Martyrii tempore diſſerit. 5. exponit Sancti Mauri legationem in Galliam a recentiori quodam autore ut temere, ita infeliciter impugnatam. 6. regulæ progreſſum in Hiſpania. 7. Gregorii

gorii Magni ſtudium in Sancti Benedicti inſtitutum: ubi Benedictinam ipſius profeſſionem contra Cardinalem Cæſarem Baronium adſerit. 8. de Auguſtino Monacho, aliiſque Gregorii diſcipulis in Britanniam miſſis diſputat, quibus omnibus obſervationes quaſdam de rebus cum Eccleſiaſticis, tum Monaſticis notatu dignis ſubjicit; in aliud ſæculum remittens fuſiorem Germaniæ Benedictinæ tractationem.

Præfatio Secundi ſæculi Benedictini.

In Secunda poſterioris aureique plane ſæculi Benedictini præfatione, ut præſtituto a ſe ordini ac diſpoſitioni inſiſtat, quædam argumenta ſibi tractanda aſſumit, quæ ſubſequentibus Sanctorum Ordinis Actis non parum lucis afferre videntur. quorum primum eſt de Sancti Columbani Regula & Inſtitutis: an a Sancti Benedicti Regula diverſa ſint, an cum illa aliquando conſenſerint. 2. de Monaſtici ſtatus antiquitate in Belgio, ejuſdemque per Amandum propagatione. 3. de Sanctimonialium & Canonicarum Virginum origine itidem in Belgio. 4. obſervationes varias eccleſiaſticas & monaſticas complectitur. 5. denique obſervationes hiſtoricas & chronologicas: quæ omnia antequam latius explicet, nonnulla prius diluit, quæ adverſus conſilii ac propoſiti ſui rationem ſæculo primo ſtabilitam opponuntur.

In

In hac præfatione duas in partes diſtributa, quemadmodum ſæculum æræ Benedictinæ tertium, Chriſtianæ octavum, alternantium rerum varietate, factiſque memorandis inſigne fuerit, potiſſimum oſtendit. Europa ſiquidem, cujus fere limitibus hiſtoria noſtra continetur, pene tota motibus quaſſata ſolitis, novos dominos, novamque formam ſubiit. Fuit in primis Hiſpaniæ luctuoſum fatum, quæ VVitizæ & Ruderici pravorum regum contaminata flagitiis, proditore Juliano duce, in Maurorum poteſtatem venit; tumque Viſigothorum imperium, quod trecentis & amplius annis ſteterat, ab immani ac feroci gente extinctum eſt. Sardinia inſula idem fere infortunium experta; uti & Sicilia miſere a Saracenis devaſtata. Paullo felicior extitit Italia, non tamen a magnis converſionibus immunis: nimirum Imperii portio, quæ per Exarchas Ravennates adminiſtrata diu fuerat, Imperatoribus Græcis erepta, Romanis Pontificibus ceſſit: & Longobardorum regnum annis ducentis validum, Francorum demum armis ſuccubuit. Nec etiam Gallia ipſa mutationum expers: quidquid enim a Pyrenæis jugis ad Rhodanum uſque maritimi ſoli eſt, id a Mauris occupatum; ſævitumque perſæpe ab illis igne & ferro in finitimas re-

Præfatio tertii ſæculi Benedictini.

giones : quin abjecto Childerico Merovingici generis poſtremo Francorum rege, ad Majores-domus devolutum eſt regium nomen, quod eis ſolum deerat; nam regia poteſtate jamdudum gerebant omnia. Pippinus alterius familiæ caput rebus fortiter geſtis & populi ſtudio Solium conſcendit : illudque poſtea Carolus ejus filius re & cognomine Magnus Imperatoria dignitate extulit, Germaniæ provinciis pleriſque ſubactis.

In tanto rerum turbine quam afflicta publica res fuerit docent nos, inquit Mabillonius, qualiacumque monumenta, maxime hiſtorica, quæ veluti quibuſdam pannoſæ imperitiæ centonibus a ſe divulſis conſtant. ex hoc autorum ſordidorum numero excipiendos monet Mabillonius viros pro illa ætate ſummos, Bedam Venerabilem, Paullum VVarnefridum, Ambroſium Autepertum, Albinum ſeu Alcuinum Flaccum, alioſque non paucos. Carolo imperante debitus Muſis honos reſtitui cœpit, rediitque avita celebritas, paullo poſt Nortmannorum tempeſtate rurſus infeliciter violata.

Poſtquam Mabillonius Chriſtianæ, ac Monaſticæ Reipublicæ faciem ſic expoſuit indicavitque, cura in primis Summorum Pontificum Gregorii junioris, Gregorii item tertii, & Zachariæ reſtauratum per Petronacem fuiſſe Caſinenſe

Cœ-

Cœnobium Longobardorum furore dudum ſolo æquatum, fuſius ſubinde explicat; tum ſchiſma Scotorum occaſione Paſchatis & Tonſuræ exortum, ac per Benedictinos ſublatum; tum Germanorum ad fidem acceſſionem; tum Eccleſias cathedrales, & litterarum Academias in Germania inſtitutas, cultumque Germanici ſoli per noſtros. Iis ſuccedunt obſervationes nonnullæ eccleſiaſticæ, monaſticæ ſimul & hiſtoricæ, de decreto videlicet celebrandæ Miſſæ quotidianæ in Ticinenſi Synodo edito: de Pane Sacrificii, qui non erat panis cibarius & uſitatus, ſed formulæ quædam inſtar oblatarum, quibus modo in Sacris utimur, ex quibus aliæ ad Sacrum, aliæ ad communem uſum adhibebantur: de Eulogiis, deque pecuniarum pro Miſſis eleemoſyna, quo tempore & qua ratione introducta: de Pane azymo, ac prædiorum donatione pro materia Sacrificii: de Communione laicorum ſub utraque ſpecie, atque Euchariſtia manu accepta: de Altaribus mobilibus, editis, & cavis: de Sacerdotum, Monachorum, & Sanctimonialium confeſſionibus, deque illa potiſſimum, quæ Confirmationi, peregrinationi, vitæ monaſticæ ineundæ, militumque initiationi, ac pugnis præmitti olim ſolebat: de pœnitentia publica, ac

Societatibus pro Suffragiis : de Reliquiis ſuper altare exponi ſolitis : de Romano Ritu , deque organis in Eccleſiam Gallicanam primum invectis : de Abbatibus diaconis , ac ſæcularibus , de interdicto denique fœminis ingreſſu in Monachorum Eccleſias.

Pars altera Præfationis ſecundi ſæculi Benedictini.

In altera præfationis parte , ſubjectis quibuſdam quoque obſervationibus de Childerici regni tempore , deque Dagoberti filiis , de Chilperico , nec non Theodorici regni initio , ac Dagoberti Secundi reſtitutione , aliiſque rebus hiſtoricis, monachos illos vindicat , Ordinique Benedictino adſerit , qui ſexto ſeptimoque ſæculo floruere , contra eruditiſſimum Carolum Cointium Oratorii Presbyterum , Francorumque Annalium parentem , qui eos pene omnes ipſi detractos volebat.

Præfatio in ſæculum quartũ Benedictinũ.

Præfationem hanc in ſæculum Ordinis noſtri quartum , Eccleſiæ vero nonum non parum commendant quam plurima eaque egregia eccleſiaſticæ hiſtoriæ capita : in ea namque poſt deſcriptum haud ineleganter Europæ ſimul & Eccleſiæ ſtatum ; Galliarum ſub Carolo cognomento Magno , ſed animi rerumque geſtarum præſtantia ſane maximo , amplitudinem & majeſtatem ; erecta ab eo regali plane munificentia , & autoritate Templa , Epiſcopatus , & Monaſteria ; reſtauratam denique opera Benedicti A-

nia-

nianæ Abbatis collapſam regularis diſciplinæ obſervantiam : mox de gravibus, quæ ea tempeſtate Eccleſiam perturbarunt, controverſiis mirum in modum ediſſerit ; & primo quidem de hæreſi Feliciana, ſeu adoptivorum, quæ Felicem Urgelitanæ ſedis Epiſcopum auctorem habuit, quæve Narbonæ primum, tum Francofurti ad Mœnum biennio poſt, ſubinde in Synodo Urgelitana, cui Benedictus Anianenſis Abbas a Carlomanno legatus interfuit, ac demum in Synodo Aquiſgranenſi, ubi ab Alcuino confutata eſt, damnata legitur. 2. agit de Symboli additamento, nempe *Filioque*, a Gallis primum facto ; cujus occaſione exorta quæſtio eſt de proceſſione Spiritus Sancti ; ac ventilata, modo in Synodo Gentiliacenſi, modo in Collatione Romæ ſub Leone Pontifice habita, cui Adalhardus veteris Corbejæ Archimandrita juſſu Carlomanni interfuit. 3. de Sacrarum imaginum cultu, de quo gravis ac diuturna orientales inter & occidentales Eccleſias contentio interceſſit : cujus rei argumentum, ut fuſe, ita erudite ac luculenter prorſus illuſtrat Mabillonius.

Hanc de imaginum cultu concertationem excipit altera de prima regularis diſciplinæ in Ordine noſtro remiſſione, deque ejuſdem reſtauratione per Benedictum Anianenſem : quam reſtauratio-

nem, haud primariam esse (ut quibusdam visum est) regulæ Benedictinæ propagationem in omnia Galliarum Cœnobia, invicte demonstrat : contenditque regulam Sancti Benedicti ante sæculum octavum ubique Galliarum fuisse receptam : quod ut facilius exequatur ; & quibuslibet adversariorum objectionibus effugiisque aditum præcludat ; multis, iisque validis argumentis probat neque Benedictum Anianensem, aut Ludovicum Augustum, neque Carolum Magnum, aut Pippinum Regem, Carlomannumque ejus fratrem generalis Benedictinæ regulæ propagationis auctores, sed ejusdem potius observantiæ restauratores fuisse. Id argumenti aliud haud contemnendum sequitur de Benedictinis Scholis sæculo nono celebrioribus : ex quibus aliæ Parisienses, quarum initia majoribus nostris nonnulli accepta referunt : aliæ Palatinæ, in palatio Caroli Magni, quæ a clarissimo Alcuino nostro aut institutæ aut excultæ memorantur ; in quibus pueri nobiles ac monasteriales litteras docebantur. Inter Palatinarum scholarum rectores, non sine laude nominatur Alcuinus proxime laudatus, moderatorum omnium doctrina perinde ac pietate facile princeps : quem subinde excepere viri clarissimi Scottus, Amalarius Diaconus, Thomas, ad quem

hoc

hoc nomine VValafridus Strabus carmen edidit, Remigius Cœnobii Sancti Germani apud Antiſiodorum monachus, Joannes denique Scottus, qui in Palatio quoque Caroli Calvi ſcholas inſtituit, diſcipulumque inter alios habuit Uribaldum poſtea Epiſcopum Antiſiodorenſem. Præcipua ſubinde Cœnobia ſtudiis litterarum ſæculo nono inſigniora cum Trithemio noſtro enumerat, Fuldenſe, Santigallenſe, Augienſe, Hersfeldenſe, Hirſaugienſe, Sancti Albani, Moguntinenſe, Corbejenſe, Prumienſe, Mediolanenſe, Sandionyſianum, Pariſienſe, S. Maximini Trevirenſe, Stabulenſe, & VVeiſenbergenſe, Remenſe, Antiſiodorenſe, Turonenſe; quibus adjunguntur Anianenſe, Floriacenſe, Sangermanenſe, Ferrarienſe, Gorzienſe, Inſulæ barbaræ, Sancti Michaelis Virodunenſe, Fontanellenſe, Sithienſe; apud Italos denique Caſſinenſe, Ticinenſe, & alia bene multa, quibus viri omnigena eruditione perinde ac pietate conſpicui diverſis temporibus floruere, variaſque docuere ſcientias.

Pars altera præfationis tertii ſæculi Benedictini.

Alteram præfationis hujus partem haud minoris pretii momentique faciunt, illuſtratæ in ea Euchariſticæ ſæculi noni controverſiæ ex libro Paſchaſii Radberti de Euchariſtia exortæ, Goteſcalci fortuna, & turbæ ab eo excitatæ, modus præter-

ea, quo Chriſtus Dominus e Virgine proceſſit, librique ea de re ultro citroque conſcripti. Funeſtum denique Græcorum diſſidium, eorumque, auctore Photio, in Latinos objecta, quæ nulli non comperta atque explorata arbitror. His ſuccedit tractatio de converſione Septentrionalium populorum ad fidem facta per noſtros, maxime per Anſcharium ejuſque Socios: veterum ſubinde Martyrologiorum Scriptores Benedictinos memorat, qui Monachorum ac Virginum Sanctitate illuſtrium nomina faſtoſque poſteris commendarunt. quos inter claruere in primis Venerabilis Beda, Vandelbertus Prumienſis Cœnobii Monachus, qui metricum Martyrologium Bedæ olim perperam adſcriptum concinnavit; Rabanus ex Fuldenſi Monacho & Abbate Moguntinus Epiſcopus; Uſuardus, Notkerus Santigallenſis monachus; quibus adjungendus occurrit Neuclo Corbejenſis Monachus, qui ſub finem ſæculi undecimi Adonis Martyrologium ſive ab ſe, ſive ab alio contractum aliquot Sanctorum nominibus auxit, quale habetur in Bibliotheca Corbejenſi. Mitto compendii cauſa, quæ de more a Mabillonio ſubjiciuntur, obſervationes Eccleſiaſticas, monaſticas, & hiſtoricas. in iis enim pluribus auctorum teſtimoniis aſſertam, cœlituſque Summis Pontificibus datam legas

gas probandorum, ac repellendorum Scriptorum omnium ſpecialem auctoritatem: ibi diverſam Summorum Pontificum & Epiſcoporum Mitrarum formam, quarum uſus non omnibus, nec ſingulis communis fuiſſe traditur. ibi balneum ante communionem reverentiæ cauſa olim adhiberi ſolitum, ac Baptiſmum per ſuperinfuſionem collatum: ibi Abbatum in rebus ſacris poteſtatem: ibi denique monaſticum habitum ab Imperatoribus, Regibus, Principibus, aliiſque viris ſæcularibus in extremis verſantibus ſuſceptum diſcas.

Præfatio in ſæculũ quintum Benedictinum, Eccleſię vero decimum.

In hac præfatione, qualis fuerit ſæculo Ordinis noſtri quinto, Eccleſiæ autem decimo, omnium pene Eccleſiarum horrenda facies, luculenter juxta ac elegan-ter deſcribit Mabillonius. Cave tamen, lector, quidpiam miſerentis ac omnia proſpicientis Dei Sapientia indignum ſuſpiceris; credaſque in illis funeſtis tempeſtatibus Eccleſiam ſuam, quæ nullis adverſitatum fluctibus mergi umquam poteſt, ita eum deſeruiſſe, ut boni aliqui malis permiſti non fuerint. quippe non eadem nec eodem loco ſtant vitia; ſed mobilia, & inter ſe ſe diſtantia tumultuantur: ſe propellunt invicem, atque oppugnant. & quidem in ſæculo decimo graſſabantur crudelitas, ambitio, luxuria, ignorantia: ſed quemadmodum

dum tot fluvii, atque imbres, tanta medicatorum vis fontium, maris ſaporem non modo non corrumpunt, ſed ne remittunt quidem; ita nec ſcelerum labes, nec adverſarum impetus rerum, Eccleſiæ ſtatum ullo modo labefactant. Fuere quidem in hoc ſæculo tyranni, raptores, inceſti, ſacrilegi, proditores, rudes denique & imperiti homines; ſed viri quoque non defuere, qui incorruptam Chriſti cum bonis moribus doctrinam poſteritati tranſmiſere. Porro ut res Eccleſiaſtica, ita Monaſtica iis temporibus peſſimo loco erat: in deteriuſque abiiſſet, niſi labenti ac penitus decidenti manum ſuppoſuiſſet adjutricem, ſubindeque reſtauratam longe lateque per Gallias propagaſſet haud ſatis umquam laudandus Odo Congregationis Cluniacenſis inſtitutor, totiuſque Benedictinæ Reipublicæ ſplendidiſſimum ſydus, decus, & ornamentum. Præfationem hanc de more claudit Mabillonius nonnullis cum eccleſiaſticis, tum monaſticis atque hiſtoricis obſervationibus.

In his porro, perinde ac in cæteris operibus, mirum in modum elucet ingenuus ille candor animi ſtudiumque veritatis, quo heterodoxorum, non tantum catholicorum, quos interdum impugnare coactus eſt, ſibi demeruit animos; ac reverentiam conciliavit. Inter Catholicos

me-

memorare in primis juvat clariſſimos Socios Bollandianos, ac nominatiſſimum Carolum Cointium; qui cum tam amabili, tamque ſingulari eruditione inſtructo adverſario ſe concertaſſe, ſæpe ſibi gratulati ſunt; ob id maxime quod nihil ipſi aut caritate prius, aut carius veritate fuiſſe non uno in loco nec ſemel experti eſſent.

XVIII Adverſa moderate ſuſtinet.

Enituit in primis Mabillonii moderatio in eos, quos in adornandis Sanctorum Ordinis actis expertus eſt adverſarios. Ii enimvero nimio Benedictinæ gloriæ ſtudio abrepti, zeloque ducti haud ſatis provido, eum apud majores noſtros ut proditæ religionis, ac violati Sanctorum noſtrorum Canonis reum vocarunt: propterea quod Sanctos monachos quamplures in extraneorum claſſem rejeciſſet; typiſque minoribus edi curaſſet eorum acta, quos in domeſticorum ac ſodalium numero Scriptores noſtri hactenus habuerant. ex adverſo nonnulli alterius partis homines cauſabantur, quod hiſtoriam noſtram actis Sanctorum ſubdititiorum oneraſſet. Verum quodcumque utrobique videbatur incommodi tantum abeſt, ut inſtituti methodum ac rationem convellerit, aut attigerit; quin potius illuſtrando conſilio ſuo plurimum id conferre luculenter demonſtravit. *Nihil*, inquit, *convenientius aut accommodatius videtur potuiſſe*

tuiſſe inveniri ad utriuſque partis conciliationem, quam ſi Sanctos dubios, & extraneos, quos tamen nonnulli e noſtris omnino proprios, extraneos nonnulli omnino exiſtimarunt, retineremus quidem, ſed minoribus characteribus deſignaremus. Sic enim utrorumque votis fit ſatis, dum & illi habent acta, quæ legant; hi vero diſtinctos habent quos eliminent, ſi velint. Nec melius ſane alumni Benedictini, qui Patris ac Ordinis legitima decora propugnare debet, vel hiſtorici ſinceri & veritatis amantis partes explere poterat. Movit illum nihilominus adverſariorum querela, eo ſane moleſtius, quod nihil hac in re ſuſceperat, aut ſcripſerat inconſultis majoribus: Ordinemque ſibi longe chariſſimum tanto præ cæteris pluris æſtimabat, quanto præ illis melius noverat, quæ illum vere ac legitime commendarent. Scriptis interim conſilium ſuum propugnare coactus, cenſorum objectiones ut validis, ita eruditis reſponſionibus confutavit, ſtrenueque, ut par erat, cauſam ipſe vindicavit ſuam: ſubinde vero explicatis argumentis a Martyrologio Benedictino, atque virorum illuſtrium Scriptore Trithemio petitis, quin etiam rejectis amicorum in ea contentione conſiliis, eos minime audiendos oſtendit, qui in hac Sanctorum Ordinis collectione non tam accurati criterii, quo vera a falſis diſcernuntur, quam pietatis, cu-

cujus causa suscepta fuerat, habendam esse rationem; nec tam disceptanda, quam referenda Ordinis decora; uno verbo si quid rejiciendum, id certe domesticos dedecere, contendebant.

XIX Ejus veritatis studium.

Hoc speciosо rationum obtentu permotis non parum Præpositis, ne vel minimum quidem motus Mabillonius est: nec flecti umquam potuit animus veri tenax, ut quidquam scriberet a veritate & sinceritate præcipuis historici dotibus alienum. *Ut æquitatis amor*, ajebat ille in Apologia MS. *prima judicis dos est, sic & rerum ante actarum sincera & accurata investigatio historici munus esse debet. Judex persona publica est ad suum cuique tribuendum constituta. ejus judicio stant omnes in rebus, de quibus fert sententiam: maximi proinde criminis reum se facit, si pro virili sua parte jus suum unicuique non reddat. Idem historici munus est, qui & ipse persona publica est, cujus fidei committitur examen rerum ab antiquis gestarum. cum enim omnibus non liceat eas per se investigare; sententiam ejus sequuntur plerique: quos proinde fallit, nisi æquam ferre conetur. nec satis est tamen, verum ut amet, & investiget, nisi is insit animi candor, quo ingenue & aperte dicat quod verum esse novit. Mentiri si Christianis omnibus, multo magis religiosam vitam professis nulla umquam ratione licet; longeque minus, cum mendacium multis exitiale est, ac per-*

perniciosum. Fieri vero non potest, quin historici mendacia vertant in perniciem multorum, qui verbis ejus fidem adhibentes decipiuntur, dum errorem pro veritate amplectuntur. non levis proinde ejus culpa fuerit, qui tot alios secum in errorem trahit. debet ergo, si candidus sit, procul ab omni studio partium certa ut certa, falsa ut falsa, dubia ut dubia tradere; neque dissimulare, quæ utrique parti favere aut adversari possunt. non debet a veritate sejungi pietas; neque hæc, si vera ac sincera sit, veritati umquam adversari. Inique igitur agerem, si falsa ut vera, dubia ut certa proponerem Ordinis decora: siquidem id repugnat veritati; cujus partes Monachi, utpote Christi, qui veritas est, sectatores, sequi debent: tum religiosæ sinceritati, quam a nobis potissimum requirunt viri sæculares: tum humilitati ac modestiæ; quæ viros maxime decet religiosos. neque enim, nisi fovendæ vanitati conferre potest, alienæ virtutis, aut mutuati splendoris ostentatio. tum denique quia id Ordini nocet quamplurimum; pessimamque de illo ingerit adversariis opinionem. nihil enim æque de historici fide detrahit, ac si vera pro falsis, aut saltem incerta pro certis nimio partium studio afferantur. ubi quippe vel semel veritati defuisse quis convincitur, inde certa quæque rejiciendi, aut saltem de illis suspicandi adversariis ansam præbet. Fracta, *inquit Augustinus*, vel leviter diminuta auctoritate veritatis, omnia dubia remanebunt.

Aug. lib. de mend. c. 10.

In

In alio quoque loco non minus valide illorum refellit opinionem, qui vindicandæ Ordinis gloriæ ſtudio ducti cuncta ſibi licere arbitrantur. *Perſuaſum*, ajebat ille, *ſemper habui Chriſtianam pietatem ac religioſam modeſtiam non minus violare Monachos, dum falſa aut vana Ordini ſuo adſcribunt, quam privatum quemlibet, dum indebita ſibi arrogat. neque enim valet, quæ adducitur adſerendæ Ordinis gloriæ ratio: hæc quippe non tam Ordini communiter favet, quam privatæ cujuſque cupiditati, a qua me, pluribus licet obnoxium vitiis, magnopere ſemper abhorruiſſe profiteor.* Hæc de veritate, cui, dum vixit, ſancte jugiterque adhæſit, ſentiebat Mabillonius. Quantum porro eſſet, quo flagrabat, veritatis ſtudium, vel in extremo vitæ diſcrimine teſtatum fecit; cum me aliquantulum turbatum advertens ob aliquem videlicet, qui in nonnulla operum ſuorum loca irrepſerat, errorem, mox ſine mora emendatum voluit. neque enim vel minimum vacillandum putabat vir veri amantiſſimus, cum quidpiam aut ſincere referendum, aut ingenue caſtigandum occurrebat. tantumque abeſt, ut arguentes ſe male exciperet, ut potius ceu de accepto beneficio gratum ſe illis ac memorem exhiberet. qua in re quos noverat peritiores ac doctiores amicos non ſolum invitaſſe, ſed etiam coegiſſe ſatis

tis ſuperque docent nonnulla, quæ in ultimo Annalium volumine de illorum conſilio in appendice emendata leguntur.

XX Mabillonii partes tuentur Præpoſiti.

Cæterum quamvis iſta concertatio non parum ipſi moleſtiæ, atque ob documenta, quæ in ſui vindicias proferre coactus eſt, laboris attulerit plurimum: utrumque tamen non leviter temperarunt, quos patronos cauſæque ſuæ ſtrenuos defenſores expertus eſt, non ſodales modo doctrina ac pietate magis conſpicui, ſed ipſi quoque Præpoſiti Generales; quorum gratia ac patrocinio nec ad vindictam, nec ad ſui jactantiam uti umquam voluit; viciſſe, ac propoſitum ſuum vindicaſſe contentus: quodque mirandum ſane eſt, ejus rogatu publici juris facta, quæ adverſus ipſum concinnata fuerat, diſſertatione, nulla exinde ſuæ in cenſores amicitiæ & exiſtimationis argumenta non dedit. Mabillonii porro conſilium, ejuſque vindicias poſtmodum probavere Litterati quique; in primis vero doctiſſimus juxta ac Religioſiſſimus Cardinalis Bona. Is enim auditis non ſine quadam animi moleſtia delatis in Mabillonium querelis, id in ejus gratiam operiſque laudem teſtatum omnibus voluit; ſe nempe diligenter perlectis Sanctorum actis, nihil niſi ſapienter excogitatum, ſolerter diſpoſitum, appoſiteque diſtributum in notis ſive hiſtoricis, ſive chronologi-

Acta SS. Ordinis plurimum laudat Cardinalis Bona.

logicis, ac dogmaticis obſervaſſe; Mabilloniumque non vulgari laude dignum judicavit, quod proprios ac germanos Ordinis Sanctos a dubiis & adſcriptitiis ſcite adeo diſtinxiſſet. Præclarum hoc tanti viri ſuffragium, ſeu potius magni momenti teſtimonium, litteris quoque ſuis confirmare dignatus, qui Chriſtianam hodie Rempublicam ſapientiſſime moderatur Clemens XI. Pontifex Maximus, litterarum patronus, ac litteratorum, ſi quis alius, longe peritiſſimus æſtimator. ..... *Ubi*, inquit, *aliunde nobis non innoteſceret, quam vigeat, benedicente Domino, in Congregatione Sancti Mauri pietatis cultus, & ſacræ eruditionis ſtudium; ſatis perſpectum fieret ex opere per nonnullos ejuſdem Congregationis monachos ſingulari ſane diligentia elucubrato, nuperque typis & quidem affabre excuſo ..... Conſtat enim vel ipſo intuitu, quam ingenti cura acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti, quæ in eo recenſentur, fuerint ex antiquis monumentis conquiſita; quam etiam pie ac diſerte fuerint explicata; ac propterea quantam in Domino laudem ejuſdem operis auctores ſibi conciliaverint. Cum itaque Pontificiam charitatem peculiariter demeruiſſe, ii merito confidere poſſint, qui ornamenta præfato Ordini de Eccleſia tam præclare merito quærunt, & veræ virtutis exempla Chriſtianæ perfectionis ſectatoribus proponunt; gratum illud nobis vehementer accidiſſe tibi perſuade-*

Eadem Acta Summo Pontifici Clem. XI. probantur.

Litteræ in forma Brevis Clem. XI. Præfecto Generali directæ vi. Junii ann. 1702.

re, ac ea omnia tibi polliceri poteris, quæ ad ejuſdem Congregationis, tuique ipſius commodum pertinere intelliges. Hactenus prælaudatus Pontifex.

XXI Diſſertationem edit de pane azymo & fermentato.

Cum Mabillonii præfationem in primam partem tomi tertii actorum (in qua inter cætera diſſeruerat de materia Sacrificii Euchariſtici; probaveratque contra Sirmundum, perpetuum fuiſſe ſolius azymi panis in Eccleſia latina uſum; nec a tempore Photii adhiberi cœptum) legiſſet Eminentiſſimus Cardinalis Bona; ſuamque de panis azymi & fermentati uſu, quem promiſcuum, & indifferentem fuiſſe ante Photii ſchiſma contendebat, ſententiam oblique ſaltem impugnatam vidiſſet: ſcripta ad Mabillonium epiſtola, non gravatus eſt promere quid ſentiret de argumentis ab eo propoſitis: quibus etiam reſponſiones ſuas cum eximia dignatione repoſuit. ſubindeque ſubmiſſo Eldephonſi Hiſpanienſis Epiſcopi opuſculo, quod eatenus inquiſierat Mabillonius, autoritatem in eo ſuam interpoſuit, quo totum azymi argumentum novis commentariis explanaret; accuratius & enucleatius pertractaret; reſiduoſque ſcrupulos excuteret. Votis libenter annuit; moxque adornatam atque anno MDCLXXIV. publici juris factam de pane Euchariſtico diſquiſitionem laudato Cardinali nuncupavit. In ea reſumpto

toto

toto argumento, difficultates longe uberius expendit; ſententiam ſuam novis rationibus & auctoritatibus communivit: rem demum ut erudite ſic luculenter more ſuo tractavit: oſtenditque in primis, ut non ita pridem annotavit vir doctrina perinde ac pietate conſpicuus, quantum foret veri ſincerique amans Mabillonius, atque ab aſſentando magnatum animis longe alienus. Qua de re Mabillonio, cujus probe noverat morum animique candorem, gratulatus non ſemel eſt candidiſſimus ipſe Cardinalis; (neque enim erat ex eo genere hominum, quibus id unum ſapit quod ſentiunt) atque inde profecto nata mutua eaque religioſiſſima utriuſque conſuetudo; inde reciproca cujuſque operum communicatio; inde demum jucundiſſimum atque ad mortem uſque aſſiduum, quod indagandæ aut illuſtrandæ veritatis ſtudio ſimul inierant, litterarum commercium.

XXII. Quæ ſit litteratorum in eum exiſtimatio.

Nonnullis poſt evulgatam de pane Euchariſtico diſſertationem interjectis annis, Noriſius Auguſtinianæ Familiæ alumnus, præſtantis ingenii vir, ac præclari in tota Republica litteraria nominis, quique non ita poſt ab Innocent. XII. Pontifice Maximo Sacra Purpura inſigniri meruit, ſuum ann. MDCLXXXI. ſub *Auguſtini Foſſei* nomine elucubratum opus Mabillonio nuncupatum voluit. Pari

Varia opera Mabillonio nũcupata.

quoque honore eum non ita poſt dignatus eſt ſpectatæ apud omnes doctrinæ & pietatis Thomaſius Clericorum Regularium Sodalitii Presbyter, incredibili bonorum omnium plauſu ac gratulatione renunciatus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, nec minori omnium mœrore, totiuſque Reipublicæ cum Eccleſiaſticæ, tum Litterariæ jactura nuperrime nobis ereptus, cum ſuum ipſi de Theologicis veterum Patrum Inſtitutionibus indiculum Romæ ann. MDCCI. editum inſcripſit. Quid memorem Eminentiſſimum totiuſque Benedictinæ Familiæ decus & ornamentum Joſephum Aguirreum, qui illum & verſibus exornare, ſuamque Hiſpaniæ, & Americæ Conciliorum collectionem ad eum in Gallias tranſmittere, atque illi hoc pacto gratificari non eſt dedignatus? quid virum inter Germaniæ litteratos eruditiſſimum, qui ſuum Argentinæ ann. MDCXCVI. impreſſum opus eidem Mabillonio dedicavit? cæteros, eoſque ſane non exiguos taceo, quos variis in locis a Germanis, Hiſpanis, Italis, & Gallis accepit, ſed pro innata ſibi modeſtia hominum notitiæ ſubducere ſtuduit delatos ſibi honores. Nulli enimvero ignotum arbitror, apud inclytæ mem. Alexandrum VIII. Pontificem Maximum, de Sodalitio S. Mauri præclare meritum, fuiſſe Mabillonium

lonium in magno pretio : ſed pauci norunt, voluiſſe Pontificem de rebus ab eo litterariis aſſidue per epiſtolas erudiri ; atque ut ejus modeſtiæ, qua id certe muneris refugiſſet, aliqua ratione conſuleret, præcipuum curiæ ſuæ adminiſtrum, qui ſuas hac in re vices ageret, delegiſſe. Idipſum inſuper cum Ferdinando de Furſtemberg Padebornenſi ſimul & Monaſterienſi Antiſtite epiſtolarum commercium habuiſſe, opera Patris Oversham alumni Benedictini, nulli quoque adhuc compertum putaverim. Eum doctiſſimus ille princeps, ac eruditi quique ſuis interdum operibus non ſolum litteris cohoneſtabant. Cæterum ab ignotis, longeque ab eo poſitis litteras accipere, adeo ipſi novum non erat, ut pene eſſet quotidianum. a Principibus, Epiſcopis, Abbatibus veniebant undequaque litteræ ; illum Galli, illum Itali, Germani, Scoti, Angli, Batavi, Helvetii, Hungari, quin etiam clariſſimi Hiſpaniarum Præſules litteris dignabantur ſuis : ex iis Indiarum Patriarcha ut ſibi res mitteret litterarias, non ſemel precibus invitavit : *Litteras mitte*, rogabat Hiſpanus Epiſcopus, doctrina conſpicuus, *mitte ut oblectet ; idque mihi, quæſo ; ob graſſantia bella, Galliæ libris deſtituto ſolatii tribue*. tacitus inſuper mitto aſſiduam, quam multis ante obitum annis neceſſitudinem inierat cum eruditis

principum & eruditorum litteris dignatur.

Pariſienſibus, aliiſque omnium pene Europæ gentium præſtantiſſimis viris; quorum per epiſtolas de rebus cum eo litterariis agere, non mediocris oblectatio erat. Hos ipſe conſulebat viros doctiſſimos; & ab iis viciſſim ea fiducia conſulebatur, ut, quidquid in re potiſſimum antiquaria probatum ipſi fuiſſet, mox publica luce dignum exiſtimarent. & quidem ea erat apud omnes Mabillonii fama, ut quotquot in aliqua diſciplina nomen comparaverant, aut comparare ſibi cupiebant, ad eum undequaque confluerent. ex iis Herovallius, Bigotius, Cangius, Faurus, Baluzius, Herbelotius, Renodotius, aliique cum ſuperioris, tum ævi quoque noſtri ſpectatiſſimi viri: quin etiam Præſules clariſſimi in Sangermanenſe Cœnobium crebro conveniebant, de propriis, ac etiam alienis recens editis operibus ſimul cum eo ſermonem habituri.

XXIII Analecta publici juris facit.

Cum adornandis Sanctorum noſtrorum actis animum intenderet, eoque conſilio Galliarum Belgiique Bibliothecas diligentiſſime perluſtraret Mabillonius; multa eaque ad rem litterariam, nedum monaſticam peropportuna, forulos excutienti occurrerunt veterum Scriptorum monumenta: ex quibus ea, quæ rerum antiquarum illuſtrationi profutura viſa ſunt, accurate ſelecta, ſubindeque quat-

tuor

tuor in octavo tomis miro delectu collecta ſub Veterum Analectorum titulo in lucem emiſit : quo quidem nomine non antiquorum modo operum fragmenta, quæ deceſſorum curam ac diligentiam fugerant, ſed plurima quoque haud exigui pretii monumenta, quæ ad ſacra religionis myſteria ſpectant, intelligenda veniunt. Talia in primis ſunt nonnulla Patrum, veterumque auctorum opera, inſtrumenta publica, opuſcula Theologica, fragmenta Conciliorum, Chronica, fundationes Eccleſiarum ac Monaſteriorum, epiſtolæ Imperatorum, Regum, Summorum Pontificum, & Epiſcoporum, inſcriptiones, acta, naſcentis Gallicani imperii formulæ, & alia id genus religioni & hiſtoriæ perutilia documenta, quibus pretium ac lucem afferunt collectoris notæ, & obſervationes, nonnullæ præterea diſquiſitiones in aliqua hiſtoriæ capita obſcura ante, nec ſatis accurate diſcuſſa : cujuſmodi ſunt, nonnulla Venerabilis Bedæ ſimul & Flori commentaria, fidei confeſſio Alcuino adſcripta, iterati peccatorum lapſus, celebris Berengarii pœnitentia, quæque in Monaſteriis fieri ſolebant puerorum oblationes. Accedunt inſuper aliæ diſſertationes, ex quibus nonnullæ ſejunctim editæ ſunt, qualis ea eſt, quæ Hadriano Valeſio inſcripta legitur de Gregorii Magni monacha-

tu, quam duæ aliæ excipiunt Domino Abbati Galeſio nuncupatæ; in quarum altera de Dagoberti primi, & Clodovæi Secundi Galliæ Regum epochis, in altera vero de Sancti Deſiderii Cadurcenſis Epiſcopi obitu ediſſerit. Primus autem horum Analectorum tomus ann. MDC LXXV. in lucem prodiit; huncque ſubinde excepere reliqui, quibus plura alia in ſcriniis Mabillonii reperta ejuſmodi monumenta, addi ſuo tempore poterunt.

XXIV Celebratur opus de re diplomatica.

Præ cæteris porro, iiſque præclaris operibus, Mabillonii nomen toto litterario orbe commendavit, illuſtravitque ſane plurimum celebris nullique non probata elucubratio de re Diplomatica. Siquidem ſubiit eruditorum animos ſtupor, quod ad artem ac præcepta tam ſcite feliciterque redigere potuerit, nullis ad eam diem regulis, ac legibus ſubjectum argumentum. Rei diplomaticæ notitia intimis Archiviorum receſſibus eatenus concluſa tenebatur, nec e tenebris emergere valebat; nullo manum porrigente: vetus etſi ac vulgaris foret ejus profeſſio, utpote quam omnes ſectantur homines forenſes, & hiſtorici, docti pariter & indocti; jacebat tamen illa inculta, ſine regulis, ſine legibus, præter eas quas pro ſuo quiſque captu ac ingenio confingebat. hinc nata confuſio ingens, falſa plerumque judicia de veris inſtrumentis,

Rei diplomaticæ dignitas, & utilitas.

ina-

inanes paſſim conjecturæ de falſis, Sanctorum diplomatum reverentia vix ulla, nulla pene autoritas, niſi apud æquiores & magis eruditos, qui animum a moroſis pſeudocriticorum præjudiciis repurgatum habebant. Hanc indigne ferens Mabillonius rei litterariæ plagam tentavit remedium, & quidem opportunum: opem ferre conſtituit, Archiviis præſertim Gallicanis, quibus maxime clades hæc imminebat. In hunc campum aleæ plenum deſcendit, ut deſertam illam ac propemodum neglectam rei litterariæ partem pro modulo illuſtraret, rei diplomaticæ adferret lucem aliquam, ſuam reſtitueret Sacris Summorum Pontificum reverentiam, ac præcipue Regum noſtrorum diplomatibus auctoritatem poſtliminio vindicaret. Hoc igitur in opere veterum Francorum Regum eruuntur, illuſtrantur, vindicantur diplomata, elucent pia illorum geſta, exprimuntur imagines, itinera, ſtationes, ſigilla, annuli, formulæ, ſubſcriptiones, ac ſubſcriptionum teſtes, anni denique principatus ſtudioſe explicantur, probatur non Pontificiorum modo ac Regiorum diplomatum, ſed Monaſticorum quoque cum diplomate privilegiorum antiquitas, indicantur varia Scripturarum veterum genera, diverſi generis atramenta, variæ denique ad ſcribendum olim adhibitæ ma-

materiæ. quæ omnia quantum ad illuſtrandam Regum noſtrorum hiſtoriam conferant, nemo non intelligit. propterea quaſdam regulas legeſque propoſuit non pio ſuo arbitrio confictas, ſed ex variis diplomatum formulis erutas pro temporum varietate, ut in veris diſtinguendis a falſis, deinceps juventur ſtudioſi: quod ut clarius intelligant, veterum expoſuit cujuſque ſæculi Scripturarum in æs inciſa ſpecimina; quibus accedit veterum multorum diplomatum ſelecta collectio, ac quod ſcitu dignum eſt, egregium de antiquis Regum noſtrorum palatiis commentarium. In hoc demum opere unde curioſitati ſimul & eruditioni fiat ſatis, unde optima quæque diſcantur, abunde reperiri profitentur periti quique Antiquarii. Idipſum uno ore teſtati ſunt litterati omnes, ac ii potiſſimum, qui concinnandis Pariſienſibus ephemeridibus præficiuntur. ſiquidem breviter memoratis cuiuſdam in hoc opus adverſarii objectionibus, una cum Mabillonii reſponſis, ſic in laudem effantur diplomatici operis. *In eo*, inquiunt, *difficilioribus ac moroſioribus criticorum animis mirum in modum facit ſatis Mabillonius; omnibus reſpondet, argumenta omnia dilucidat, leviora quæque ſolvit, obſcuriora illuſtrat; ejuſque reſponſa non vanis conjecturis, aut ratiociniis vagis, ſed factis potiſſimum hiſtoricis*

inni-

innituntur, validisque confirmantur ex rei visceribus deductis argumentis. Sub hæc explicatis quæ in posteriori laudati operis parte continentur, ista subjiciunt. *De his omnibus miro ordine nec minori perspicuitate edisserit, ea eruditis passim observationibus illustrat, sepultam scribendi artem suscitat, restituit oblitteratas litteras, revocat antiquos apices, vera audacter asserit, dubia dubie proponit, ubique demum lucet autoris sinceritas, ejusque studium veritatis.*

Huic tam præclaro edendo operi non parum contulit assiduum quod elaborandæ Ordinis historię studium impendit Mabillonius. Cum enim hujus causa rimandis forulis, Archiviis scrutandis, revolvendisque chartis ac diplomatibus totus assidue versaretur; tantam ex earum rerum usu ac studio prope singulari, potissimum vero ex innata animi sagacitate, peritiam assecutus est, ut omnium in se moverit litteratorum admirationem, nedum universalem ubique applausum.

XXV. Prima rei diplomaticæ editio.

Ann. 1681. publici juris facta est prima eximii hujus operis editio; jamque sub vitæ finem alteram prælo maturam, multisque locupletatam diplomatum ac rerum accessionibus paraverat, præter ejusdem operis supplementum ann. 1702 evulgatum, de quo nobis mox occurret sermo. Hæc autem propria ac propemodum singularis diplomatici operis laus est;

quod

Ab omnibus laudatur, ab uno ſolum impugnatur.

quod cum unicum adverſarium poſt ſex & viginti ab editione annos invenerit, nullus præterea extitit, qui debitas ei laudes, aut exiſtimationem denegaverit. Et quidem ſi quis adverſarii objectiones mature ac diligenter expendere non gravetur, eas in eo omnes ſatis ſuperque enucleatas, ac ſolutas fuiſſe non diffitebitur. Quare Mabillonius, ut erat pacis amantiſſimus, objecta in rem diplomaticam argumenta, peritorum permittere judicio, quam controverſias quæ illum ab utilioribus ſtudiis revocaſſent, inire, longe ſatius duxit. Unus hac in re audiendus præ aliis videtur doctiſſimus Daniel Papebrochius, qui tam egregio, numeriſque omnibus abſoluto operi occaſionem præbuiſſe non ſemel ſibi gratulatus, ſuam ea de re ad Mabillonium epiſtolam publici juris fieri voluit. *Initio quidem lectionis, fateor*, inquit, *patiebar humanum aliquid; ſed mox ita me rapuit ex utiliſſimo ſolidiſſimeque tractato argumento proveniens oblectatio, & gratus emicantis veritatis fulgor, cum admiratione tot rerum hactenus ignotarum, ut continere me non potuerim, quin reperti boni participem ſtatim facerem ſocium meum Patrem Baertium. Tu porro, quoties res tulerit, audacter teſtare quam totus in tuam ſententiam iverim; meque ut facis perge diligere, qui quod doctus non ſim, doceri ſaltem cupio.* Hactenus vir modeſtia perin-

de

de ac eruditione insignis. Ab hoc iterum opere impugnando haud censorem deterruit tanti viri testimonium, atque adeo elogium. Verum Mabillonius, unum ipsi oppositum voluit ejusdem operis supplementum, novæ quam parabat rei diplomaticæ editioni adjungendum, ratus, nec quidem immerito, quaslibet in eo difficultates, quæ lectorem etiam hac in re apprime versatum remorari possent, abunde satis explanatum iri. Supplementum illud non ita post excepere eruditæ admodum vindiciæ, quas in gratiam Mabillonii ejusque diplomatici operis defensionem adornavit, ac SS. D. N. Clem. XI. nuncupavit clarus inter litteratos Justus Abbas Fontaninus, tunc in Archigymnasio Romano publicus eloquentiæ professor, nunc vero ob præclara in Ecclesiam ac Sedem Apostolicam merita, inter laudati Pontificis Cubicularios ab honore adlectus. Ad hoc egregium opus non multo post accesserunt epistolæ duæ in idem argumentum: altera est *Domini Lazzarini ex nobilibus de Murro ad amicum Parisiensem pro vindiciis antiquorum diplomatum Justi Fontanini Forojulienſis, Romæ MDCCVI.* altera est *M. Ant. Gatti ad V. C. Jacobum Bernardum, Amstelodami MDCCVII.* Item *Defensio* D. Lazzarini, & alia jam nota. Variis hinc, atque hinc ea de re concertationibus pacis, ac

Iterū impugnatur opus de re diplomatica.

Chri-

Chriſtianæ potiſſimum ſtudio caritatis haud ingerere ſe voluit Mabillonius. neque enim quidquam, inquiebat, niſi odia, neminique non ingrata convicia ut plurimum generare ſolent hujuſmodi contentiones.

XXVI. Ejus a rerum cupiditate alienus animus.

Ceterum, diplomatici operis (quod omnium eruditorum judicio inter præclariſſima ævi noſtri opera jure reponitur; quodque auctoris nomen, ingeniique ſagacitatem æternitati commendabit) præſtantiam ac dignitatem confeſtim præ aliis novit Clariſſimus (cui nuncupatum fuerat) D. Johannes Baptiſta Colbert generalis ærarii moderator, ſummuſque Regiorum ædificiorum Præfectus; qui non ita pridem tractandis graviſſimis pro Rege negotiis Mabillonii operam adhibuerat. Is, ut erat ad Regni decus promovendis bonis artibus & diſciplinis, ac præmiis in viros eruditos diſtribuendis præpoſitus, ſeu potius natus, Mabillonium dudum ſibi & virtute & eruditione notiſſimum inter beneficiarios Regis deſcribi voluit: quo non ſemel, nec ſine incredibili laudati Regii miniſtri ſtupore recuſato, id unum dumtaxat ab eo beneficii efflagitavit, ut Congregationem noſtram, quæ nullis hactenus in rebus ipſi defuerat, nec Deo juvante ſibi impoſterum defuturam ſperabat, Patrocinio dignari ſuo pergeret. Enimvero Chriſti

Inter beneficiarios Regis deſcribi recuſat Mabillonius.

ſti paupertate affatim locuples, victum ac veſtitum divitias Chriſtianorum cum Apoſtolo exiſtimans, quæſtu illiberali, liberalem artium dignitatem lædere noluit litterarum cultor; ſubque Chriſto paupere divitias erubuit religionis amator. parvo dives, parvi ducebat perituras opes; cariuſque emi putabat, dum paupertatis diſpendio comparantur. Et quidem nec ſibi, fuiſve umquam commodis ſtuduit Mabillonius: quinimmo ſibi aliunde oblata non ſemel renuit, nihil tam monacho dignum putans, quam ſe ſuaque omnia uni rerum omnium diſpenſatori Deo committere. Id certe non ita pridem teſtatum voluit, cum acceptam ab amico clariſſimo epiſtolam, quæ in ſuæ erga noſtrum utrumque benevolentiæ argumentum nonnulla offerebat, levando religioſæ paupertatis oneri opportuna; legendam mihi præbuit; quidve ea de re ſentirem inquirens, ſubjunxit, Tu quidem quæ volueris elige: moxque me in ſuam recuſandi muneris ſententiam abeuntem amplexus, quantum ipſi pergratum fecerim vel ex ipſo amplexu abunde ſignificavit. Abſit tamen, repoſuit vir cæteris indulgentiſſimus, ut hac in re moleſtus tibi eſſe velim: rebus ipſe tuis conſule: verum profeſſionem cogita tuam; ac memorare Deum te Optimum Maximum habere patrem, in quo ſpem tuam

Paupertatis ſingulare ſpecimen.

tuam ac fiduciam plane totam collocare debeas.

XXVII. Ejus paupertatis ſtudium.

Eo paupertatis ſtudio, non ſolum quidquid abjectum ac vile, ſed etiam quidquid aſperum & incommodum ultro conſectabatur; idque tam in ſe pati, quam ab aliis propulſare conabatur. Oblata etiam in anguſtiis non niſi ægre ſuſtinebat vitæ commoda. Quid, inquiebat cum Auguſtino, de me diceretur, ſi pauper cum ſim atque ex parentibus pauperibus oriundus, ea in monaſterio quærerem, quæ vix in ſæculo ambire licuiſſet? Vulgaria omnia quærebat ac detrita, in ſuppellectile cubiculi: in libris, in veſtibus ea depoſcebat: in his ſibi placebat, longe ab illis diſcrepans qui hoc in religioſis etiam familiis curant, ut bene ſemper nec ſine magno interdum ſumptu habitent. Pari paupertatis ſtudio incenſus, vitium horrebat proprietatis, anxiamque tyronum in petenda facultate ſcribendi, loquendi, quidpiam penes ſe retinendi, aut rem quampiam quamvis paucam donandi, diligentiam ſuperabat. unde cum aliquando in familiari colloquio de ſtricta, ad quam monachi tenentur, rerum omnium abdicatione incidiſſet ſermo; illum non ſemel in hujuſmodi labem, qua utinam non tam multa Cœnobia inficerentur, graviter invehentem, atque ut ſolebat

toto

toto mentis ardore hæc egregia Paulini Epiſcopi, Nolanæ civitatis excidium amare deflentis, verba referentem non ſemel audivi: *Domine ne excrucier propter aurum & argentum; ubi enim ſint omnia mea, tu ſcis.*

XXVIII. Ejus charitas erga pauperes.

Et quidem in Deo uno theſaurum collocaverat ſuum Mabillonius: hinc non a ſæcularibus modo, ſed a ſuis quoque Præpoſitis abnuebat oblata ſibi munera: ſi quid vero interdum egenti erogabatur, id mox totum non tantum Superiori ſuo conſignatum cupiebat, ſed nec inde prius accipiebat, quam in ejuſdem rei partem egenos vocaſſet; quibus ſublevandis totam, qua apud Magnates, maxime vero apud nonnullos Congregationis Præpoſitos pollebat, authoritatem, ultro impendebat. Haud abſimili modeſtia, & humilitate ſuis perinde ac pauperum neceſſitatibus conſuluiſſe, docent varia ab eo ſuſcepta itinera. iis enimvero ſuſcipiendis pauca ſibi erogari curabat, quo inde ad reliquum iter conficiendum, ceu pauper, pauperumque more per Monaſteria emendicandi captaret occaſionem.

Enituit tandem in Mabillonio paupertatis amor, præſertim in Conſanguineos; ex quibus non divites, non potentes, aut aliquo munere conſpicuos (altum enim atque apud eum perpetuum de iſtis ſilentium) ſed abjectiſſimos quoſque noſſe,

& excipere ; quin etiam pro viribus ac innata caritate ipſis opem ferre geſtiebat: non quo illos fortunæ bonis locupletiores redderet , aut gradu altiores , ſed ut in ea potius , in qua nati erant , humili conditione facilius libentiuſque contineret. Longior equidem eſſem , ſi cuncta , quæ paſſim dedit religioſæ Paupertatis ſpecimina referre vellem : immo dabit veniam lector , ſi laudabilem hanc , atque in Mabillonio principem virtutem fuſius proſecutus ſim . Ita enim comparatus erat Mabillonius , ut ex rebus etiam minimis (ſi tamen minima ſunt , ac vocari debent , quæ aſſequendæ religioſæ perfectioni non parum conferunt) ad ſalutem, virtuteſque gradum ſibi faceret.

XXIX In Burgundiam ſe confert.

Ann. 1682. in Burgundiam iter inſtituit Mabillonius ; ibique prælaudatus Dominus Colbertus diſcutiendis nonnullis ad Regum noſtrorum Stirpem ſpectantibus Inſtrumentis , ejus opera ſtudioque uſus , quæ foret in re antiquaria Mabillonii peritia , incorrupta fides , ac ſingularis plane ſagacitas , ex felici commiſſi muneris ſucceſſu abunde intellexit . Exinde vero tanti eum æſtimavit , ut in publicum ſui in illum ſtudii atque exiſtimationis argumentum , ſuadentibus quoque plurimis viris undequaque conſpicuis , iter ab eo Germanicum , quo totius imperii Germanici Bibliothecas , Archivua

Germaniã peragrare jubetur.

ſcru-

ſcrutaretur ac Forulos, ſuſcipi voluerit, juſſu Ludovici Magni, Regiiſque ejus ſumptibus: quam ſane provinciam eo libentius ſuſcepit, quod Regi gratam, ſuæque, quam tunc parabat, Ordinis Hiſtoriæ peropportunam fore intelligebat.

Germanorum ex futuro Mabillonii adventu lætitia.

Quanta porro, & quam effuſa fuerit ex evulgato per Germaniam futuro Mabillonii adventu, Litteratorum omnium ac præſertim Monachorum Germanorum lætitia, vel ex plurimis ad eum ſcriptis litteris, potiſſimum vero ex iis, quæ ſubjiciuntur, gratulantis cujuſdam Suevienſis Amici verbis facile quiſque conjiciat. *Olim*, inquit, *ubique expectatiſſimus adveniſſes; nunc aliter, non propter te, ſed propter tempora. Si tempeſtas aliquando deſerveat, ingredere in gaudium, in brachia ſodalium tuorum. Omnibus ſolatium erit vel conſpexiſſe tantum Virum.*

Iter Germanicum ſuſcipit.

Anno igitur 1683. exeunte menſ. Jul. Germanicum iter iniit Mabillonius, adſcito ſecum perpetuo juxta ac fideliſſimo itinerum ſocio, quin etiam ſtudiorum coadjutore D. Michaele Germano; atque intra quinque menſium curriculum, Burgundiæ Comitatum, Alſatiam, Sueviam, Bavariam, Tirolum, Helvetiam, Monachium, & Salisburgum peragravit; Auſtriamque totam excurriſſet, niſi Turcæ, qui tum ejuſdem provinciæ caput

Viennam obſidione tenebant, viam ei omnem præcluſiſſent.

XXX Mabillonii apud Germanos fama, & exceptio in Cœnobiis.

Ea vero erat apud noſtros Germaniæ Monachos Benedictini decoris ſummopere ſtudioſos, Mabillonii expectatio, ea fama; ut vel prætereuntem excepiſſe honori ducerent quam maximo; vidiſſe lætitiæ ſingulari; audiviſſe præcipuæ felicitati. Quid Sanctimoniales memorem, quæ ut illum ad monaſteria ſua allicerent, quo ejus animi modeſtiam ſuſpicerent, audirentque verba facientem, linguæ ſe Gallicæ peritas data opera ſimulabant? quid Ordinis noſtri Monachos, qui honoris gratia ſe ipſi itineris comites adjungebant; eumque ceu per triumphum ducentes, atque honoribus certatim ac laudibus proſequentes, de Monaſterio in Monaſterium deducebant? quid ſpectatiſſimos Germaniæ Archimandritas, ex quibus non pauci principatum, ampliſſimoſque imperii honores obtinent; qui quo familiarius cum eo agerent, ſui prope oblivi ſci, nec dignitatis ſplendorem, niſi ut illum honorificentius exciperent, adhibere videbantur? quid clariſſimum Keptenſis Cœnobii Abbatem, nec non Sacri Imperii Principem, Domuſque Imperatoriæ Præfectum? quid Beatæ Mariæ Eremitarum Archimandritam, alioſque non paucos Germaniæ Principes? quid demum inſignem Saliſ-

Delati Mabillonio honores.

bur-

burgenſem Academiam, quæ ipſi advenienti miro plauſu, quin etiam oratione publica gratulari dignata eſt, ipſo præſente Salisburgenſi Archiepiſcopo, in cujus Villam ſingulari prope humanitate deductus eſt, ibidemque lautiſſime exceptus.

Mabillonio ubique patet facilis aditus ad Archivua, & Bibliothecas.

Præ his omnibus ampliſſimis licet honoribus, arridebat Mabillonio longe magis qui ad omnes Bibliothecas, Archivua, & publica Monumenta facilis dabatur ingreſſus, omniſque fere ætatis Manuſcriptorum Codicum copia. Nihil ipſi non apertum, atque libentiſſime creditum; tanta erat apud Germanos eruditionis ejus opinio, integritatis nomen, fama probitatis. Rapiebat in primis Germaniæ Monachos ingenuus qui in fronte Mabillonii elucebat animi candor, in ſermone religioſa ſinceritas, in rebus litterariis explicandis modeſtia prope ſingularis. Ipſe vero ex tanto Monachorum ſtudio, non ſolum opportuna ſibi documenta colligendi, ſed etiam ſe ipſis moreſque ſuos probandi occaſionem arripiens, alios ad exactam diſciplinæ regularis obſervantiam, ſuæque Profeſſionis invitabat amorem; alios vero, quos aptiores noverat, ad congrua litterarum ac ſcientiarum ſtudia pro viribus animabat. Inde Patrem Cœleſtinum Sfondratum, qui non ita poſt Sangallenſis Cœnobii Archimandrita renunciatus eſt, ac

ſubinde Sacra Purpura inſignitus ſub Innocentio XII. obiit, agnoſcere, atque cum eo familiaris amicitiæ fœdus inire cœpit.

Autographū Chronici Hirſaugienſis reperit, & edendum ſuadet.

In hoc porro celeberrimo ampliſſimoque Sancti Galli Cœnobio, perlecto quem Trithemius adornaverat Chronici Hirſaugienſis Autographo, ac tanquam de reperto theſauro mire lætus, cujus eſſet hoc opus pretii ac momenti Sangallenſibus aperuit; ejuſdemque editionem impenſe ſuaſit, ac perſuaſit. unde præclari illius Operis, quod in ipſo ſubinde Cœnobio excuſum eſt, publicam editionem Mabillonii curæ ac diligentiæ acceptam referri debere, nemo eſt qui eat inficias. Id ipſi Sangallenſes Monachi in Præfatione laudati Operis teſtatum omnibus voluere, ſubjectis hiſce verbis: *Chronicum*, inquiunt, *ſurgit nunc redivivum; animante ejus editionem Clariſſimo P. Joanne Mabillonio, quem tutelares noſtros invisentem in Sancto Gallo vidimus, nec ſine ſenſu ſuavitatis recordamur.*

XXXI Mabillonii lætitia ex conſpectu Amicorū.

Inter varia, eaque maxima Germanici itineris oblectamenta illud ſane Mabillonio jucundiſſimum fuit, eos conſpexiſſe Viros eruditos, uno ſibi ac diuturno litterarum commercio notos, una doctrinæ fama amicitiæque fœdere ſibi conjunctos, Hermannum Skenk Sangallenſis Bibliothecæ Præfectum; Patrem Metzerum, Salisburgenſis quam Ordinis noſtri

Mo-

Monachi obtinent Academiæ Vicecancellarium; Albertum Outtembergenſis Cœnobii Præpoſitum; in primis vero doctiſſimos de Mourry, de la Pierre, ac Beatæ Mariæ Abbates: in quorum ultimo non ſemel ſe ſuſpexiſſe narrabat dignam viro religioſo ſinceritatem ac modeſtiam cum ampliſſima quam obtinebat imperii dignitate, cumque inſigni quam edita opera commendant eruditione conjunctam. Quam effuſa porro fuerit ex mutuo conſpectu Mabillonii ac Patris Geiſſerii lætitia, haud facile dictu eſt. ambo ut amore, ita ingenio pares erant. prædicavi ſatis. Nemo in colligendis Documentis ad Ordinis Hiſtoriam, Sanctorumque Acta adornanda neceſſariis Geiſſerio diligentior, ac Benedictinæ gloriæ ſtudioſior extitit. unde cum ejuſdem illuſtrandæ atque amplificandæ peritiorem Mabillonio noſſet neminem; nullam promovendis ejus ſtudiis ac levandis laboribus operam non impendit. Et certe cum eſſet is Benedictinæ Suevienſis Congregationis Apocriſiarius; ac proinde facilis ad omnes Monaſteriorum Bibliothecas ei pateret aditus; eximiis monumentis Mabillonium locupletavit. Is ſubinde obiit Abbas S. Georgii de Villingen, virtutis ſplendore tota Germania clarus, deque noſtra Congregatione perinde, ac toto Ordine præclare meritus.

XXXII. Monumenta in Germania collecta.

Cæterum tam facili Bibliothecarum simul & Archivuorum aditu opportune admodum uſus Mabillonius, multa & quidem exquiſita ex itinere Germanico monumenta retulit; quorum pars edita legitur in quarto Analectorum Tomo, in cujus fronte exhibetur Germanici itineris haud contemnenda deſcriptio; quam egregiæ dein excipiunt Antiquarum Inſcriptionum collectiones; ſelecta ex variis exaratis manu codicibus haud exigui pretii monumenta, una cum diverſarum, in quas diſtributa olim Roma fuerat, regionum deſcriptionibus. calcem operis occupant in MSS. Germaniæ codices animadverſiones; in quibus difertis pauciſque verbis quiſque addiſcat, quæ longo & operoſo aliorum minoris pretii documentorum ſtudio vix percipere queat. Iis ſane optimis Germaniæ documentis uſus potiſſimum eſt Mabillonius ad multa ſua opera, maxime vero ad adornandos Ordinis Annales.

Vetuſtum Ritus Gallicani Lectionarium in Cœnobio Luxovienſi reperit.

Inter egregia, quæ Burgundiæ Comitatum peragranti Mabillonio occurrere Monumenta, reponendum jure videtur longe vetus illud ab annis centum circiter ſupra mille exaratum Gallicani ritus Lectionarium in Cœnobio Luxovienſi repertum, ac præclaris Merovingiacis litteris conſcriptum; quod evulgandæ Gallicanæ Liturgiæ occaſionem præbuit. Hujus

jus calcem Operis præter multa ſcitu digna ad Francicam ſeu Gallicanam liturgiam ſpectantia, aliaque id genus Monumenta, claudit erudita diſquiſitio in Officium divinum Gallicanis in Eccleſiis olim recitari ſolitum, ac propterea *Curſus Gallicanus* appellatum.

XXXIII. Mabillonius juſſu Regis ad iter Italicum ſe accingit.

Ex Germania in Gallias redux Mabillonius, mutatum quidem ex clariſſimi Patroni ſui D. Colberti deceſſu miniſterium reperit; non tamen erga ſe mutatos, qui eidem ſubrogati fuerant, miniſtrorum animos, aut imminutam quam ante ſibi conciliaverat exiſtimationem. Enimvero illuſtriſſimus Remorum Archiepiſcopus-Dux Carolus Mauritius Tellerius, cui tunc tota apud Regem litterariæ rei cura commiſſa erat, quique eximias plane noverat Mabillonii dotes, ut ſuam, quam multis nec dubiis argumentis demonſtraverat, in eum exiſtimationem teſtatam omnibus faceret, de eo in Italiam mittendo in animum induxit; ſimul ut conquiſitis Regia Bibliotheca Libris ac Manuſcriptis fieret longe locupletior; ſimul ut aliquid Eccleſiæ, reique litterariæ inde accederet. Placuit non parum Regi Chriſtianiſſimo ejus itineris conſilium; ſuiſque non ſumptibus modo, ſed auſpiciis ſuſceptum voluit. Tanti Regis voluntati, conſilioque Archipræſulis obtemperandum duxit Mabillonius;

quam-

quamvis ab ea ſuſcipienda provincia non una illum ratio deterrere videretur; in primis vero Maris pericula, labores itineris, provecta ætas, affectæ denique vires. Jam iter Italicum meditabatur, cum morbo correptus, illud in aliud tempus differre cogitur. firmatis ſubinde viribus, nie ſibi adjuncto comite, in Normanniam iter inſtituit: quo in itinere ejus in obſervandis, quæ e re ſua fore putabat, cum publicis tum privatis Monumentis diligentiam & ſagacitatem, nec minorem in perſolvendis, perinde ac in monaſterio fuiſſet, debitis pietatis officiis ſollicitudinem non ſemel demiratus ſum.

Menſe Majo 1684. Normanniam petit.

Inſequente anno priſtinæ omnino ſaluti reſtitutus ad iter Italicum ſe accingit; Pariſiiſque una cum D. Michaele Germain, individuo comite Kal. April. ann. 1685. profectus, Lugdunum verſus iter inſtituit; tranſcendit Alpes; tandemque Auguſta Taurinorum, Mediolano, Verona, Patavio, Venetiis, Ravenna, aliiſque finitimis Italiæ urbibus feliciter, omniumque gratulatione peragratis, Romam pervenit die 5. Junii hora 5. matutina; ſiquidem nocte tota inceſſerat, deſtinatos ſibi tum ab Eminentiſſimo Cardinali Eſtræo, qui adventantem in ſua Rheda extra urbem excipi, indeque ad Hoſpitium uſque deduci juſſerat, tum a Procuratore noſtro Generali dudum ſibi

In Italiam proficiſcitur.

ami-

amiciſſimo D. Claudio Stephanotio, qui Litteratos omnes præmonuerat, honores devitaturus, quos alibi ſibi paratos, pari cura ac diligentia declinaverat: non enim amabat, immo quantum poterat, cæteris honorificentius, aut liberalius haberi fugiebat.

XXXIV. Delati in Italia Mabillonio honores.

Lubet hoc loco ſi non omnes, ſaltem nonnullos referre a multis Italiæ civitatibus Mabillonio noſtro delatos honores. Equidem Italica Gens, quæ præ cæteris peregrinantium animos elegantia morumque comitate rapit, quæque, ut pulchre quidam ait, *ſuapte natura procul odoratur hominum præſtantiam, & Sapientibus atque eruditis mirifice defert*, accedentem Mabillonium nullis non affecit honoribus; nullis non laudibus exornavit, officiiſque ſibi demeruit. In primis vero Sereniſſimus Etruriæ Dux, qui tum Senis morabatur, comperto ex litteris Magliabeci ejus Florentiam adventu, ſtatim non Laurentianam modo ac Palatinam Mediceorum, ſed etiam Florentinas omnes Bibliothecas ad ejus uſum ac nutum reſerari, quin etiam ad ea deſcribenda, quibus opus haberet, Amanuenſem ſuppeditari juſſit. Rem exſecutus eſt celebris Antonius Magliabecus ex longo litterarum commercio ei jamdudum amiciſſimus; quo duce quidquid librorum in Bibliothecis Florentinis propoſito ſuo magis

gis congruebat didicit. Is enim ea præditus eſt ſagacitate, nihil ut ipſum lateat; ea memoriâ pollet, ut libros omnes habeat in numerato; ipſe Muſeum, ut ita dicam, inambulans, & viva quædam Bibliotheca.

Florentiæ a Sereniſs. Magnæ Etruriæ Duce honorificentiſſime excipitur.

Haud ita multo poſt Florentiam redux Sereniſſimus Etruriæ Dux Mabillonium ad ſe, ſubindeque ad Filios Ferdinandum & Gaſtonem Principes (in quibus præclara illa Mediceorum indoles, innata videlicet in litteras ac litteratos omnes propenſio elucet) introduci voluit, ea facilitate, ac benignitate, ut velis demiſſis privatim alloqui dignatus ſit; multa de Rege honorificentiſſime dicens, deque ejus ſtudio in Catholicam fidem: Florentia tandem abeuntem dignis regia plane munificentia muneribus Mabillonium proſecutus, lecticam honoris cauſa Bononiam uſque ei ſubminiſtrari præcepit. exinde vero litteris eum ſuis non ſemel dignatus eſt: atque in quadam epiſtola ad Oratorem ſuum in Galliæ Regia conſtitutum paucis ab hinc annis miſſa, hæc legebantur ſubjecta verba: *O te felicem, atque me longe feliciorem, cui tantum Virum alloqui, non ſolum videre conceditur.* Quantum vero eumdem vita functum defleverit, verbis plane honorificis, acerboque animi dolore palam fecit.

Neapoli. Pari benevolentia & honore Mabillonium

nium excepit Regni Neapolitani Prorex excellentiſſimus Marchio de Carpi : ſiquidem præter quam quod ad ſe illum ſæpe intromitti juſſit ; ad omnes etiam Solemnes Ceremonias, ſeu *Regias*, ut vocant, *Capellas* peramanter invitavit ; utque omnem excuſationi viam præcluderet, Rhedam ipſi ſuam ſubmitti curavit. quantus porro eſſet Proregis laudati in Mabillonium amor, palam aliquando factum eſt, cum illum prætereuntem morari, ac pulcherrimo ſerto, quod ipſe in feſto Natalis Regis Catholici acceperat, munifica manu donare voluit.

XXXV. A Caſinatibus honorifice excipitur.

Proregis Neapolitani exemplo, ſeu potius proprio ipſorum ſtudio ducti Caſinates noſtri, ubi Caſino vicinum audiunt Mabillonium, ſtatim nonnullos e ſuis legunt, qui tam religioſo ac plane digniſſimo Benedicti Patris filio obviam exeant; eique adventanti communem Caſinenſium Sodalium lætitiam, plauſuſque ſignificent. Haud abſimili amoris lætitiæque ſignificatione exceptum voluere clariſſimi Sanctæ Floræ Aretinæ, S. Proculi, Sanctique Joannis Cœnobiorum Abbates ; qui ei obviam progreſſi ad Monaſterium uſque deduxere. Neque præterunda ſilentio videtur nata ibi Gallos Fulienſes inter & noſtros Florentiæ Monachos amica contentio, quis eorum tam inſignem Hoſpitem ad ſe deduceret : pugna-

Amica Fulienſes Gallos inter & Florentinos Monachos concertatio.

gnabat pro Fulienſibus Gallis charitas Patriæ, gratique in civem ſuum animi debita ſignificatio: movebat ac prope pro Monachis noſtris triumphabat, inſitus Ordinis amor. Utriuſque humanitati ut faciat ſatis Mabillonius, apud utrumque alternatim manſurum ſe pollicetur. verum cum Patrum Fulienſium Cœnobium extra urbem ſitum ſit; non ſine amica eorumdem expoſtulatione ad Monachos noſtros primum divertit; ibique ob loci, potiſſimum vero Bibliothecarum vicinitatem diutius manſit.

Patavii. Patavium ſecundo accedentem Mabillonium apud ſe diverſari, atque ne alio divertat, Rhedam qua deducatur, in occurſum ejus ad Ripam Fluminis ſubmitti jubet Eminentiſſimus Cardinalis Barbadicus; cujus modeſtiam, ſtudium in litteras, zelum indefeſſum, moreſque incorruptos nemo non novit: ſubinde vero audito ejus Patavium reditu, viſitationis ſuæ in Montibus Euganeis curſum interrumpere non eſt gravatus, quo Mabillonium conveniret, videret, & alloqueretur. Ravennam ubi attigit, cum illum apud ſe excipere non poſſet Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Archiepiſcopus Fabius Guiniſius, præclara Guiniſiorum apud Lucenſes gente oriundus, Vino Florentino, aliiſque Eduliis donatum voluit: idemque pro ſua in eum humaRavennæ.

ma-

manitate, oſtendere atque indigitare voluit quæ ſuperſunt vetera Eccleſiæ Ravennenſis authentica inſtrumenta; ex quibus nonnulla quæ in Cortice exarata ſunt, atque apud Rubeum edita emendavit. Inſigne porro eſt Ravennæ Archivium ob antiqua monumenta, ac ea maxime quæ in Cortice ſcripta ſunt eo charactere, qui, cum eſſet lectu difficillimus, *ſcriptura incognita* dictitari ſolebat; multiſque etiamnum foret, niſi in ſua de re diplomatica elucubratione ejuſdem legendi methodum ac regulas tradidiſſet Mabillonius. Quid Bononiæ. Bononiam accedenti non detuliſſet Eminentiſſimus Cardinalis Legatus Pignatellus, haud ita poſt ſub Innocentii Duodecimi nomine ſummo totius Eccleſiæ Regimini præfectus; quid, inquam, non detuliſſet, ſi de illius, uti juſſerat, adventu fuiſſet certior factus; ac niſi Mabillonius pro ſua modeſtia paratos ſibi honores præcaviſſet? Ejus modeſtiæ artes, diligentiamque prævertit Eminentiſſimus Cardinalis Spinola Lucenſis Reipublicæ Epiſcopus; eique perinde ac cæteri Italiæ Epiſcopi nulla non præbuit benevolentiæ & humanitatis argumenta.

XXXVI. A Litteratis præſertim viris colitur.

Uno verbo ab omnibus ubique celebratur, præſertim ab eruditis Italiæ viris; qui ut illum honeſtius exciperent, & antiqua ſcituque digna urbium monumenta, cimeliarchia, & gazophylacia in promptu haberent;

berent ; mutuis ſibi litteris vicinum ejus adventum ſignificabant ; propriis eum quiſque operibus donabat ; nullaque prætermiſſa lætitiæ ac plauſus ſignificatione, tanti nominis virum vel obiter conſpexiſſe , aut apud ſe aliquandiu retinuiſſe ſinguli & univerſi lætabantur . Quantis demum per Italiam honoribus affectus fuerit , eleganter prorſus docuit Illuſtriſſimus D. Juſtus Fontaninus per eam , qua me de illius obitu dignatus eſt , epiſtolam . *Jam* , inquit , *per totam urbem non ſine gravi Litteratorum mœrore Mabillonii deceſſus fama percrebuit ; noſque de eo certiores reddidimus amicos per Italiam conſtitutos ; ubi multi ex illis adhuc ſuperſunt , qui viginti & tribus ab hinc annis eum propius venerati fuerunt ; cum urbes effuſæ ad eum adirent , primique ſubſellii Homines ad viſenda quæque inſigniora Cimeliarchia , Gazophylacia , & Bibliothecas , eum honoris cauſa certatim comitantes deducerent ; quod ille in itinere Italico pro ſua modeſtia parce admodum indicavit .*

Gratus erga litteratos Italiæ Mabillonii animus.

Verum quanto in recipiendis qui ultro per Italiam deferebantur honoribus parcior Mabillonius , tanto certe in Amicis memorandis , quique benefeciſſent liberalior fuit . Hos inter , quorum beneficia animique dotes cum laude memorat , principem locum obtinent Mediolani Illuſtriſſimus Comes Mezabarba

Vir

Vir in litteris humanioribus, & numiſmatum ſcientia apprime verſatus; & cum eo eruditus Pater Moneglia, Florentiæ Magliabecus, clariſſimuſque Noriſius, ex Monacho Auguſtiniano in Sacrum ſubinde Purpuratorum Patrum Senatum cooptatus; Meritiſſimus quoque nec vulgaris inter Litteratos nominis Pater Capaſſius, tum ſacræ Theologiæ in Academia Piſana Profeſſor, quem non ſemel perluſtrandis Florentiæ monumentis ducem ac comitem habuiſſe gloriatur; Vicentiæ, Dominus Gonzata; Neapoli celebris Valleta, qui domi ſuæ Bibliothecam probatiſſimis autoribus inſtructam omnium admiratione plauſuque comparavit; Geneſius, Nicodemus, aliique Neapolitanæ urbis præſtantiſſimi viri; Patavii, Pater Minorelli Dominicanæ Familiæ inſignis alumnus, quem doctrina politioribuſque litteris ornatum in primis ſuſpexit; Lucæ Beverinus Poeta ſimul & Orator cultiſſimus, quocum de recipiendo apud ſe Mabillonio amice certaſſe legitur Dominus Bonamicus; Parmæ celeberrimus Pater Bacchinus Caſinenſis Congregationis Monachus, multiſque jam editis Operibus inſignis; cui adjungendus eſt D. Eraſmus a Cajeta de noſtro perinde ac ſuo Caſinenſi Sodalitio præclare meritus, una cum P. Seraphino Janſy Caſinenſi quoque haud

vulgaris doctrinæ ac modeſtiæ Monacho, a quo non pauca locupletandis Ordinis Annalibus ſubſidia interdum accepit; Aronæ Reverendi admodum Patres Societatis Jeſu, qui inſigne librorum de Imitatione Chriſti ſub nomine Joannis Gerſen Abbatis Vercellenſis antiqua manu exaratum exemplar Mabillonio in Gallias deportandum, non tantum inſpiciendum mira humanitate conceſſerunt; ut quæ jam de eximii hujus Operis Autore in lucem protulerat, ejuſdem manuſcripti codicis autoritate ſtrenue vindicaret. Codicem hunc benigne adeo ſibi creditum lubenti animo accepit Mabillonius; ſubindeque a Viris in re diplomatica apprime verſatis diligentiſſime excuſſum, atque illorum teſtimonio comprobatum, non ſine maxima grati animi ſignificatione ad mox laudatos Patres tranſmitti curavit. Quem apud omnes prope Italiæ, præſertim Parmenſis Cœnobii Monachos locum obtinuerit Mabillonius, abunde teſtantur nuncupatæ nomini ejus Concluſiones; condita in ejus laudem carmina; palam in ejus honorem pronuntiatæ paſſim gratulatoriæ orationes; quæ omnia laudum genera modeſtiæ plane gravia cum nec artibus, nec precibus effugere poſſet, ab hujuſmodi cætibus omnino abſtinere conſtituit, laudis impatiens.

Quid

Quid Domina Gentium, Princepſque Provinciarum Roma præ aliis Italiæ Civitatibus Mabillonio non detulit? quid non præſtitit ejus ergo? ibi in primis Eminentiſſimi Cardinalis Eſtræi, Excellentiſſimique Ducis ejus Fratris pro Rege legatione fungentis expertus non ſemel eſt humanitatem, patrocinium, benevolentiam, autoritatem, officia, ſtudium denique ſingulare; ibi a Sanctæ mem. Innocentio XI. Pontifice Maximo nulla non accepit benignitatis & exiſtimationis argumenta, ſi ejus adeundi honorem excipias, quo Mabillonium ob affectam valetudinem Pontifex dignari non potuit; ibi denique Ottoboniana, Barberina, Chigiana, Alteriana, Altempſiana, Caſanatenſis, Pamphiliana, Auguſtiniana, aliæque Romanæ Bibliothecæ, una cum Monaſteriorum & Eccleſiarum Archivuis, Gazophylaciis, Cimeliis, aliiſque id genus monumentis in ejus uſus liberaliter reſeratæ; in primis vero omnium longe locupletiſſima, ac nobiliſſima Vaticana, ex qua quamplurima, eaque exquiſita prorſus documenta eruit. huc etiam non ſine laude memoranda accedit multis iiſque optimæ notæ exaratis manu codicibus inſtructa Bibliotheca Auguſtiſſimæ Suecorum Reginæ, quæ poſt aliquantam, quo illum dignata eſt, colloquii moram, XXXVII Romæ.

diſcedentem pro ſuo in litteratos ſtudio benigne dimittens, favorem ſuum, una cum omnibus Bibliothecæ ſuæ tam editis, quam manu exaratis codicibus in ſtudiorum ſuorum ſubſidium perhumaniter obtulit.

Bibliothecam Patrũ Oratorii Romani frequens adit.

Uberi ſane fructu, nec minori animi voluptate Eminentiſſimi Cardinalis Baronii Bibliothecam, Patreſque, penes quos ea eſt, Oratorii Romani frequens adibat, cum ob vetuſtos nec exigui pretii qui ibidem accuratiſſime adſervantur manu exaratos codices; tum maxime ob clariſſimum Patrem Leandrum Coloredum laudati Sodalitii Alumnum paullo poſt S. R. E. Cardinalem renuntiatum, quocum continuo prope litterarum commercio amicitiæ fœdus arctiſſimum, quod ad obitum uſque perduravit, iniit. Frequens illi quoque colloquium ac familiaris conſuetudo cum Illuſtriſſimo juxta ac eruditiſſimo Angelo de Nuce Roſſanenſi Archiepiſcopo, qui Caſinenſis Cœnobii Archimandrites non ita pridem fuerat; ejuſdemque Chronicon doctis annotationibus illuſtratum ediderat. Taceo Thomaſium eximia pietate perinde ac Sacris operibus nemini non notum, clariſſimoſque Sluſium, Fabretum, Blanchinum, Ciampinum, alioſque dum Romæ verſatus eſt amiciſſimos viros.

In

In ejus gratiam Eminentiſſimus Cardinalis Carpineus Summi Pontificis Vicarius, *Senexque*, ut verbis utar Auguſtini, *famoſus*, *annoſus*, *nullique non probatus*, erutum coram eo voluit ex veteri cœmeterio cujuſdam Martyris corpus; cui adjuncta reperta eſt Ampulla vitrea ſimul & inſtrumentum ferreum cruciando, ut creditum eſt, Martyri adhibitum. Honoris denique cauſa Conſultor Sacræ Congregationis Indicis creatus; atque in eam invitante Eminentiſſimo Cardinali Caſanata vocatus, de quibuſdam Iſaaci Voſſii operibus, potiſſimum de cauſa diluvii (quod in ſuo de Sacra Chronologia mundique ætate opere haud univerſale fuiſſe contendit, quamvis totum in eo genus humanum periiſſe non diffiteatur) ſententiam dicturus, præſentibus cum Sacri Palatii Magiſtro novem S. R. E. Cardinalibus, tam erudite juxta ac luculenter diſſeruit, ut in ſuam omnes ſententiam atque in ſui admirationem facile converterit.

Creatur Conſultor Sacræ Congreg. Indicis.

Tantis licet ubique affectus honoribus, haud inde tamen mente elatior, immo cæteris longe humilior factus: cunctis undequaque plaudentibus, non ſibi ipſe plaudebat; ſed potius magis ac magis ſibi vileſcere, hominumque frequentiam devitare ſtudebat. Quamobrem non parum ipſi arridebant, quæ Italiam pera-

XXXVIII In honoribus humilis.

granti occurrebant, remota ab omni mortalium conſortio loca; in quibus, uti e Cavenſi Cœnobio redux mihi per epiſtolam aperuit, reliquam vitam peragere in deliciis habuiſſet. Movit illum in primis Vallumbroſana ſolitudo ac ſpecus potiſſimum illa, ad quam Sanctus Joannes Gualbertus procul ab hominum frequentia oraturus ſe ſe interdum recipere ſolebat. De Claſſenſi porro, Farfenſi, Vulturnenſi, Cryptaferrata, Bobienſi, Nonantulenſi, aliiſque Sanctitatem ſpirantibus Cœnobiis, partim licet dirutis, partim omnino deſolatis non ſine quadam veneratione, mentiſque ſuavitate diſſerebat; illorumque locorum ſimplicitatem ſuperbis Regum Principumque Palatiis longe anteponebat. Hinc incredibili animi voluptate gratiſsimam illam, quam tum apud Camaldulenſes Eremitas, tum apud Sublacenſes noſtros manſionem fecerat, in mentem revocabat. Porro autem quam alte Specum Sublacenſem in animo præ cæteris defixam haberet, teſtatur breve hoc, ſed elegans prorſus ejuſdem in Annalibus concinnatum encomium. *In hoc*, inquit, *Sacro Specu Benedictus Ordinem ſuum, obſtetricante gratia, parturiit: hic Cunabula Gentis noſtræ; hæc Petra, unde exciſi ſumus*. Nec minori ſuavitatis ſenſu ſane animo recolebat, Cellam aliquandiu ſe occupaſſe

Mabillonii pietas in perluſtrandis Sacris Italiæ locis.

paſſe in Cœnobio Caſinenſi, quod veluti totius princeps Ordinis inſtituit Sanctiſsimus Patriarcha Benedictus; quodque ingens Monachorum inſignium multitudo præclaris virtutum ac doctrinæ meritis mirum in modum illuſtravit. Quare ob Loci reverentiam Sacrum illum Montem, quamvis aſcenſu maxime arduum, pedibus conſcendere voluit. Tacitus prætereo inſignem toto Chriſtiano orbe Lauretanam Eccleſiam, aliaque celeberrima quæ pietatis cauſa perluſtravit Italiæ loca; Papiam ubi Auguſtini, Vercellas ubi Euſebii ejuſdem urbis Epiſcopi, Mediolanum ubi Ambroſii & Caroli clariſsimorum Eccleſiæ Mediolanenſis Antiſtitum Corpora ſumma religione adſervantur, nec minore reverentia coluntur. Præ cæteris paſsim gloriabatur ſe Sacra adiiſſe Apoſtolorum Principum Limina; tantas ac tanta antiquitate venerandas Baſilicas cryptaſque introſpexiſſe, veterum perluſtraſſe Chriſtianorum catacumbas, teſte Hieronymo primis Eccleſiæ ſæculis adeo celebres; terram denique tetigiſſe tot Sanctorum purpuratam cruore Martyrum. De duobus dolebat plurimum, & primo quidem quod Neapolim contendens, ac juxta Nolam tranſiens, Sancti Felicis Eccleſiam, Paulini cura ac pietate conſtructam non adiiſſet; nec ob temporis injurias Montem

Lib. 12. in Ezech. cap. 4.

Alvernum petiiſſet, Sancti Francifci ſtigmatibus celeberrimum.

XXXIX Mentis ejus collectio.

Cæterum ita ſibi etiam dum peregrinaretur vacabat Mabillonius, nullum ut umquam intermitteret religionis ac pietatis officium; quodque mirari ſubit, inde ſui colligendi captabat argumentum, unde cæteri ut plurimum diverti ac mente diſtrahi ſolent; quippe peregrinando ſupremam, quæ omnium meta eſt, mortis Peregrinationem jugiter mente recolebat. Hunc animi ſenſum alte illi infixerant ſubjecta quæ iter agens

Epiſt. 10. de more legebat Auguſtini verba: *Peregrinationes*, inquit, *quas quietas & faciles habere nequeas, per totam cogitare vitam, non eſt hominis, de illa una ultima, quæ mors vocatur, cogitantis, de qua vel ſola intelligis eſſe cogitandum*. Quæ quidem Doctoris verba ita Mabillonio placuere, ut iiſdem Italici itineris, quod in Gallias redux in lucem edidit, deſcriptionem concluſam voluerit. equidem ex iis erat Mabillonius, *quibus*, ut ait laudatus Auguſtinus, *id a Deo Optimo Maximo gratiæ conceſſum eſt, ut inter caſus rerum varios, eoſque ut plurimum injucundos, tranquillo ac quieto animo conſiſtant*. Nec mirum, quippe cum nullum iter ſuſciperet Mabillonius, niſi aut Superiorum juſſu, aut Eccleſiæ ſimul & Ordinis emolumento: tantumque abeſt ut ei ob id

men-

mente excideret mortis memoria ; ut potius familiarior ipſi fieret , crebriuſque de illa ſermonem haberet.

Mabillonii accurata in itinere obſervantia.

In itinere conſtitutus eamdem prorſus , ac in Monaſterio tenebat vitæ rationem : ſtatis horis orationi , diviniſque vacabat officiis : Sacrum quotidie etiam poſt confectum ſex aut ſeptem horarum iter mira pietate faciebat : piis quoque lectionibus , maxime Sacris Paginis , *quas* cum Auguſtino *caſtas dictitabat animæ delicias* , certis temporibus operam dabat : ideoque Novi Teſtamenti , Regulæ Sanctæ , & Imitationis Chriſti aureos plane Libros , quos fere memoriter tenebat , ſecum jugiter deferre , frequenſque legere ſolebat . Nihil ſibi longo licet itinere fatigato præter Regulam ſibi indulgebat : immo per Italiam , ac Germaniam , cum ob inculta , omnibuſque rebus pene deſtituta diverſoria , tum maxime ob ciborum quadrageſimalium penuriam parcius , longeque quam in Monaſteriis auſterius tractari gaudebat . In urbes aut monaſteria adventanti princeps ei cura non tam de recreandis viribus , quam ſcrutandis quæ e re ſua erant urbium ac monaſteriorum monumentis ; adeo ut niſi iter agendo quieſcere a labore non videretur . Vecturarum incommoda , injuriaſque temporum non æquo tantum animo ferebat ; verum

rum etiam ſi quid in itinere occurrebat commodi, ſociis ultro deferre, ſi quid aſperi aut moleſti, ſibi uni eligere ſtudebat. Eum pedibus crebro ire ſolitum, jam ſupra memoravi: ſubinde tamen factus ætate provectior, fractuſque ſtudiorum laboribus, ſellæ ſibi a Superioribus conceſſæ uſum ideo admiſit, quod perſolvendis decentius divinis officiis, lectioni, orationi, aliiſque obeundis pietatis operibus opportunior ipſi videretur.

XL. Mabillonii zelus.

Porro autem cum publicis, quod raro contingebat, vecturis uti cogebatur; ea ſane modeſtia, iis verbis, eo ſe habitu gerebat, ut omnium in ſe converteret oculos, reverentiam concitaret, ſuoque exemplo, ac verbis etiam ſolutiores in officio facile contineret. Nullum niſi præmiſſa oratione iter inſtituebat: nihil qua ſermonibus, qua exemplis, qua referendis hiſtoriis non moliebatur, quo itineris ſocios ad orationem adduceret, invitaretque ad officia pietatis.

Ejus in recitando officio pietas, probãdiſque ubique moribus cura.

Ubi in monaſterium aliquod pervenerat, juxta Regulæ præſcriptum, vicinio-rem Eccleſiam, Chriſtum adoraturus adibat. idipſum quoque in diverſoriis præſtare ſolitus, ab itineris ſociis tacitus ſecedebat, divina eo, quo par erat, pietatis cultu recitaturus officia. Cœna facta, cum ob nocturni ſilentii reverentiam, tum ne ſodalibus gravis forte fieret,

ret, in cellam ſe recipiebat. A Matutina, communique fratrum oratione numquam aberat; curabatque in primis, ne vel minimum ſui cauſa relaxaretur aut perturbaretur regularis monaſterii diſciplina. Si interdum extra monaſterium vel invitus diverſari cogebatur, ſe tunc moreſque ſuos omnibus probare, pueros, ſi qui in diverſorio forent, bonis erudire moribus, ac doctrinæ Chriſtianæ documentis, fidei docere myſteria, Dei timorem pariter & amorem ſuadere, immo quo facilius documenta ſuſciperent, quibuſdam munuſculis proſequi, parentes quoque ac domeſticos informare, congrua demum cuique conſilia dare diligentiſſime ſtudebat; ea ſane modeſtia & humanitate, ut cunctos raperet in ſui amorem, animoſque ad quæcumque vellet nullo labore converteret.

XLI Exercitiorum ſuorū obſervantiſſimus Mabillonius.

Nec mirum ſane videri debet, ſi cum ita comparatus eſſet animo Mabillonius, tam multis iiſque variis peregrinationibus damni nihil umquam paſſa ſit, immo incrementum ceperit eximia ejus pietas; nihil de morum integritate, regulariſque obſervantia diſciplinæ remiſerit; ſique de via redux ſolita monaſterii exercitia, ceu numquam intermiſſa, facile adeo reſumpſerit; cum ex aſſidua ſtudiorum contentione, qua aliorum ut plurimum fervor remittitur, ipſe magis magiſque ad pietatem

tatem accendi videretur. Porro ut pietati non officiebat quæ in Mabillonii vultu elucebat hilaritas, ita nec hilaritati eximia pietas. hæc nulli gravis, omnibus opportuna, ac cujuslibet prompta obſequio videbatur.

Mabillonii pia exercitia, ejuſque mores.

Summo mane expergefactus mox pronus in terram Deum venerabundus adorabat: ſtudia ſubinde ſua, opera, animum, ſe, ſuaque omnia Supremo rerum omnium conditori Deo ſupplex vovebat. Fratres ad nocturnas vigilias præire geſtiebat: ab iis vero liber, mox ut e lecto ſurrexerat, Eccleſiam adibat; ibique ante altare divini amoris proſtratus, fuſiſque de more precibus, inde Capellam B. Mariæ, Altaria, Sacrarium mira animi pietate perluſtrabat. ut enim iis pietatis officiis religioſam putabat foveri ſimplicitatem, accendique fervorem animi; ita illarum rerum neglectu utrumque paulatim deficere, peneque tandem extingui dictitabat. Debitis idcirco officiis jugiter ſeduloque intentus, quo ſemel exarſit, fervorem novitium ſtudiumque diſciplinæ ad mortem uſque integrum cuſtodivit; nec niſi in melius, dum vixit, mores commutavit ſuos. Eccleſia cum exiret, quem in oratione conceperat divini amoris ignem, ubique ſpirabat; inque intuentium animis accendebat. Divinæ interdum, quam adoraverat, Majeſtatis

ſplen-

ſplendoribus illuſtratus vix a lachrymis ſuſpiriiſque præ devotione temperare poterat. Acri licet ingenio, nemo tamen illum aut ira commotum, moribuſque difficilem, aut verbis aſperum expertus eſt. Neminem umquam læſit etiam læſus; hominum mitiſſimus: neminem actu vel geſtu deriſit, deſpexit neminem vir humillimus. Eos unos impatienter ferebat, quos advertebat vel a pietate vel a diſciplina devios; ac eos maxime, quibus, ut ipſe ajebat, totius Congregationis ſpes una nititur, juniores monachos; quos noverat regularis diſciplinæ, minus quam par eſſet, ſtudioſos. Sic oderat divini Numinis obtrectatores, ut, ſi quos extra Monaſterium temere dejerantes interdum audiebat; opportune importune arguere & increpare, verbiſque in eos graviſſimis invehi non vereretur: neque enim ſe præſente divinum violari Numen æquo animo patiebatur. Hinc eos in quodam operum ſuorum loco cum Auguſtino amare deflet, qui gravia dumtaxat peccata horrentes, levia quæque, quamvis ſæpe mortifera, vitare negligunt. Væ, inquiebat, nobis, ſi prava peccandi, aut peccati videndi conſuetudine obdurati, nec noſtris movemur delictis, nec aliorum peccata pro modulo compeſcere ſatagimus.

Peragratis intra menſes quindecim celebrio- XLII

Ex Italia in Gallias remeat, Italiæ opibus onuſtus.

lebrioribus Italiæ urbibus, ſimulque perluſtratis inſignioribus urbium principum Bibliothecis, Muſeorum rimatis angulis, effoſſiſque latentibus veterum theſauris, comparatis denique ad tria circiter millia editis, aut ſcriptis codicibus, Regiam Bibliothecam ditavit auxitque plurimum in Gallias redux. Ex obſitis ſitu ac pulvere membranis, ex corroſis marmorum inſcriptionibus, ex inciſis in ære, ſed tempore exeſis monumentis, ex putredine fœdiſſime corruptis, multigena exoritur litterarum ſeges; varia ac præclara promitur librorum ſupellex; actorum, Annalium, Analectorum, aliorumque librorum mira exſurgit moles. Tam ſolerti obſtetricante manu, præterita retro ſæcula renaſcuntur: rugiſque depoſitis tota juveneſcit antiquitas. hinc quanta apud omnes Mabillonii exiſtimatio! quantum nominis pondus! quanta eruditionis auctoritas!

Muſeum edit Italicũ.

Medium circa annum 1686. ex Italia in Gallias reverſus, ſuum ſub Muſei Titulo, iter Italicum in lucem profert in duas partes diſtributum. Priorem obtinet, Itineris Italici, eorumque, quæ ad rem litterariam ſpectant, non ingrata deſcriptio; quam, ſuadentibus amicis, fuſiorem aliquanto fecit. Poſteriorem nonnulla occupant doctiſſimis paſſim animadverſionibus illuſtrata monumenta:

qua-

qualia ſunt antiqua Sacri ſub Urbano II. Belli Hiſtoria, Apologia Manaſſis Remenſis Antiſtitis, Friderici Imperatoris Romam adventus, ſolemnis exceptio, ejuſdemque cum Paulo II. Pontifice Maximo congreſſus, Mediolanenſium Antiſtitum catalogus, una cum nonnullis ſuper ritum Ambroſianum epiſtolis, præclaris ab eo annotationibus illuſtratis. Præ cæteris Sacramentarium Gallicanum Sæculo VII. ſcriptum, ac in Bobienſi Cœnobio ingenti lætitia repertum, ex cujus Romano canone manifeſte infertur, Gallos Romano canone uſos ante Carlomanni ævum, in quo penitus rejecto Gallicano Sacramentario, Romanum poſtea ſolum adoptarunt. Sacramentarium excipiunt liber pœnitentialis, Symbolum Apoſtolorum in ſingulos ſingulorum articulos diſtributum, Sacrorum denique librorum catalogus, quos inter recenſetur liber Sacramentorum; quo nomine, ut erudite notat Mabillonius, veteres eum librum deſignabant, qui collectiones & ad Miſſas Præfationes continebat.

Secundum Muſei volumen evulgat.

Anno inſequenti alterum Muſei tomum publici juris fecit in duas quoque partes diviſum: in quarum altera videre eſt commentarium in Ordinem Romanum, in quo de antiquis Eccleſiæ ritibus diſſerit, potiſſimum vero de Liturgia, quam ut erudite ita luculenter expli-

plicat : in altera quinque ſupra decem Romanorum Ordinum collectiones ; quibus accedunt multa eaque exquiſita id genus monumenta ex variis manu exaratis codicibus perquam diligenter excerpta . Non deerant alia bene multa , ex quibus Muſeum ſuum locupletare potuiſſet : verum cum ob ſuſcepta majoris momenti opera , tum ob graſſantia , reique litterariæ non parum exitioſa bella , iis edendis abſtinuit , aliiſque opportuniori tempore evulganda reliquit .

XLIII Tractatum edit de ſtudiis monaſticis .

Haud ita multo poſt ſuum ex Italia reditum , hortantibus Præpoſitis , viriſque undequaque graviſſimis , ad totius Reipublicæ monaſticæ commodum tractatum elucubrat de ſtudiis monaſticis : in quibus , præſcripta ſtudiorum methodo , quæ ſubinde Monachis , viriſque Eccleſiaſticis congruant , ad illorum mentem explicat , qui eximii hujus operis edendi autores ei fuerant . Opus illud tres in partes diſtributum voluit : in quarum prima , ſtudia litterarum non ſolum ſtatui monaſtico non repugnantia , aut Monachis interdicta , ſed etiam tuendæ diſciplinæ adeo neceſſaria oſtendit , ut ſine iis vix ſtare queat . idque invicte probat tum ex Sancti Benedicti Regula , tum exemplo Benedictinorum qui Ordinem doctrina illuſtrarunt , tum denique locupletiſſimis Monaſteriorum Bibliothecis ,

ac

ac perpetua totius Ordinis traditione.

In ſecunda parte expendit ea omnia ſtudiorum genera, quæ Monachos ſolitarios decent; contenditque omnia illis permitti poſſe, quæ viris Eccleſiaſticis liceant. Subinde explicatis, quæ cuique conveniant, ſtudiis, eorumdem præſcribit methodum, traditque ſubſidia. In tertia parte ſcopum docet, quem ſibi in ſtudiis proponere quiſque debeat: veritatis ſcilicet notitiam, cum caritate ac monaſticorum officiorum obſervantia conjunctam. Hanc partem excipit ſcitu digna atque ordine ſæculorum digeſta ſeries difficultatum, quæ in lectione Conciliorum, Patrum, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ occurrere poſſunt. accedit catalogus ſelectorum librorum, quibus monaſtica juxta ac eccleſiaſtica Bibliotheca inſtrui poteſt.

Tractatus de Studiis Monaſticis miro plauſu excipitur.

Quo porro Litteratorum, omniumque pene religioſorum Ordinum plauſu id uni Mabillonio adumbratum, cæteris vero, numeris omnibus abſolutum opus exceptum fuerit, ſatis ſuperque teſtantur præclaræ, quæ in fronte operis leguntur Doctorum Sorbonicorum approbationes, variæque variis in regionibus concinnatæ editiones, ac multifariæ Italico ac Latino ſermone conſcriptæ verſiones. Ex iis Italicam ann. MDCCI. ſub Scholæ Mabillonianæ titulo omnium primus ador-

Variæ hujus Tractatus verſiones.

navit Pater Ceppius Auguſtinianæ Familiæ alumnus; Latinas vero in urbe Keptenſi apud Suevos ann. MDCCII. P. Udalricus Ordinis Sancti Benedicti, ac Bavaricæ SS. Angelorum Cuſtodum Congregationis Monachus; Venetiis quoque P. Joſephus Porta Caſinenſis Sodalitii Monachus, atque in Collegio Anſelmo Benedictino Romæ olim Sacræ Theologiæ Profeſſor: in Helvetia tandem hujus partem operis Latine reddidit meritiſſimus P. Hermannus Skenk Sangallenſis Bibliothecæ Præfectus.

XLIV Opus de Studiis Monaſticis impugnat Abbas M. de Trappa.

Eximium illud de Studiis Monaſticis opus, omnium licet ſilentio, ne dicam elogio exceptum inique tulit, unuſque impugnavit cl. Abbas M. de Trappa ex Strictiori Obſervantia Ciſtercienſi, vir ut pietate ſic editis operibus ubique celebris. inde namque turbari monaſteria, ſanctiorem diſciplinam una cum pietate enervari, Monachorum intumeſcere animos, ſuam demum quam non ita pridem publici juris fecerat de ſtudiis vitæque Monaſticæ officiis ſententiam labefactari: idque conſilii habuiſſe Mabillonium immerito ſibi in animum induxerat; quod quam foret a mente Mabillonii, ac propoſito longe alienum, facile intelligere potuiſſet idem Abbas vel ex ſuis addictiſſimis, ac familiaribus amicis, qui operis hujus conſilium longe ante Mabil-

billonio injecerant, ac proinde longe ante meditatum noverant, quam in lucem prodiiſſet illud de vitæ monaſticæ officiis opus. Non tamen negaverim, quod hoc ante Mabillonii tractatum evulgato, quid in eo de ſtudiis monaſticis ſentiret prælaudatus Abbas, prudens examinatum voluit Mabillonius, factoque examine ab ejus ſententia diſcrepavit. In hac porro de ſtudiis controverſia plurimum ſane hallucinatus eſt Abbas de Trappa, mentemque Mabillonii non eſt aſſecutus, dum illum Monachos omnes profanarum litterarum, peregrinarum linguarum, mathematicarum diſciplinarum, numiſmatum, inſcriptionum notitia indiſcriminatim ornatos voluiſſe contendit, ſicque loquentem inducit. *Operæ*, inquit, *pretium eſt, Monachos omnes Sacræ Theologiæ, ac ſcientiæ Eccleſiaſticæ arcana ſcrutari, rebus hiſtoriæ reconditioribus, ſacris Conciliorum canonibus ſedulo ſtudere, Patrum intelligere auctorumque ſententias, illorum denique opera percurrere.* Hæc in ſua ad Mabillonium reſponſione ipſi affinxiſſe non diffitetur laudatus Abbas de Trappa; quamvis ſecus ſentire ſe abunde ſatis conteſtatus eſſet Mabillonius per eam, quam operi præfixit, junioribuſque Congregationis noſtræ alumnis inſcripſit epiſtolam. *Neque enim*, inquit, *a recenſendis iis, quæ Monachos, ac viros quoque Eccleſiaſticos decent, ſtudiis ſcientiiſ-*

que abſtinere potui ; quamvis nullatenus dubitem , quin id conſilii eos in primis movcat, qui ſingulis indiſcriminatim Monachis æque propoſitum autumabunt . Verum mihi longe alia mens : perſuaſum quippe mihi eſt , ut pauci reperiuntur altioribus ſtudiis pares Monachi , ita pauciores occurrere , qui ad ea capeſſenda a Deo deſtinentur . Fuit igitur operæ pretium varias in præſenti tractatu pro variorum captu in medium proferre ſcientias, quo quiſque ſuam , ingeniique viribus magis accommodatam eligeret ; eidemque operam daret . Cæterum , inquit , *Superiorum officium eſt ſubjectos ſibi Monachos ad ea potiſſimum capeſſenda ſtudia invitare , quæ cum illorum ingeniis ſunt magis congrua , tum etiam Eccleſiæ , aut quam profitentur vitæ Monaſticæ magis opportuna . Quod ſi ſigillatim de ſcientiis diſſerens , multifarios ſuper ipſarum qualibet libros perlegendos proponam ; non eſt quod inde velim , ad eorum omnium lectionem quoslibet indiſcriminatim cogere , ſed variis dumtaxat indulgere ſingulorum ingeniis , qui ex multigenis , quos propono , libris , eos de Præpoſitorum , vel alterius prudentis doctique viri conſilio , ſibi eligere poterunt , qui ſibi utiliores , captuique accommodatiores videbuntur . Hæc interim ſufficiant pro mei manifeſtatione conſilii , præſentiſque operis propoſito .*

XLV Studiorum uſus. *Neque id umquam , Fratres , cogitavi , ut Cœnobia noſtra transformarem in Academica*

Scien-

Scientiarum omnium Lycea. Enimvero cum Apoſtolus non de alia ſane quam de Chriſti & quidem Crucifixi ſcientia gloriari ſe dixerit, haud alia pariter ſit oportet gloriatio noſtra, metaque ſtudiorum noſtrorum. Hæc igitur a nobis ſic exercenda ſunt, quatenus in nobis ipſis, quin etiam & in aliis reformemus quantum poſſumus novum illum hominem, cujus exemplar in ſemetipſo expreſſit Salvator noſter: & ſi qua fuerit ſcientia quæ ad hunc ſcopum non recta collineet, ea certe in nobis plus detrimenti pariet quam emolumenti. Una Chriſti caritas ſtudia noſtra recte dirigere valet, illumque animi tumorem reprimere, quo ſpeculabilium ſcientiarum profeſſores ut plurimum laborant, ubi per ipſas cæteris eminere contendunt, vanæque gloriolæ cupiditate incenſi, ab hominibus ſciri volunt.

In hunc, pergit Mabillonius, *ſcopulum non impingetis, Fratres chariſſimi, ſi cum Doctore Melliſluo, vosmetipſos frequens ſic alloquamini:* Malo ſine illa, quæ inflat, quam abſque illa, quæ ædificat, inveniri: *ſi ſingulæ cogitationes veſtræ, ſi omnes ſtudiorum conatus ad clariorem Dei, divinarumque perfectionum notitiam, & mundanæ gloriæ contemptum collineent. Ut enim ex Apoſtolo quæ ſine caritate eſt ſcientia inflat, ita quæ caritate animatur, aſſequendæ humilitati, aliiſque virtutibus plurimum confert. Si igitur, quas ſtudio ac labore comparatis, divinarum humanarumque rerum notitiæ, hunc in*

vobis fructum non referant, ſtudiis nuntium penitus remittere, quam mortifero ſcientiarum veneno infici, aut, quem incautis plerumque pariunt, ſuperbiæ tumore inflari, longe ſatius eſt. Hanc de ſtudiis Monaſticis Mabillonii ſententiam propriis, quantum potui, reddere verbis viſum eſt operæ pretium; idque fuſiori ſtylo, ne breviori forſan elevaretur; unde facile cuique pateat Mabillonii ſcopus, quamque religioſum fuerit ejus circa ſtudia, rationeſque ſtudiorum conſilium. dum viri porro docti, Chriſtiani, ac vere religioſi imaginem adumbravit, propriam nil tale cogitantem expreſſiſſe nemo non videt.

XLVI Sui vindicias parat Mabillonius.

Ex jam dictis conjicere quoque licet, quam alienum a Mabillonii mente conſilioque fuerit, eam labefactare diſciplinam, quam Religioſiſſimus Abbas de Trappa ad multorum ſalutem opportune adeo inſtituerat. Neque vero id umquam contendit Mabillonius, ut neglectis vitæ Monaſticæ officiis, totum ſtudiis animum intenderent Monachi: ſiquidem utraque ſimul conjungi quodam quaſi fœdere verbis ipſe docebat, & exemplis: nec umquam ſtudiorum cauſa quemquam Congregationis Monachum, Superiorum licet juſſu magni momenti operibus intentum, a labore manuum immunem volebat. Id ipſe pro viribus exemplo comprobavit ſuo. nam ut cætera taceam, qui-

quibus ipſe de more vacabat, Monaſterii exercitia, probationis domum interdum adibat, ubi ab omni ſtudiorum curis expeditus, ſibique uni intentus, tum labori manuum, tum etiam abjectioribus Tyronum muniis, eo fervore, animique lætitia ſe exercebat, ut Sodalibus omnibus admirationi, Tyronibus foret exemplo.

Suam de ſtudiis Monaſticis ſententiâ vindicat.

Hæc cum de ſtudiis Monaſticis ſentiret Mabillonius, quid mirum ſi ſuam ea de re ſententiam a prælaudato Abbate uti periculoſam haberi, ac labefactandæ Monaſticæ pietati idoneam prædicari moleſto animo tulit, eamque ſibi juxta ac toti Monaſtico Ordini illatam injuriam (ſalva tamen debita tam religioſo Abbati reverentia) vindicandam ſuſcepit? illum ad hujuſmodi vindicias invitantibus non Præpoſitis modo, ſed Gallicanæ quoque Eccleſiæ, Regnique viris celeberrimis: adeo Monachorum ſtudia plurimum Reipublicæ intereſſe perſuaſum omnibus erat. Et vero quantum inde ſplendoris ac rei litterariæ commodi accederet, plane noverat Illuſtriſſimus Franciæ Cancellarius D. de Boucherat, cum ſuadentibus licet nuper laudati Abbatis familiaribus, Mabillonii reſponſionem non modo non impedivit, ſed etiam ad ſe accerſitum, ad eam quam poſſet citiſſime adornandam enixe hortatus eſt. O-

peræ pretium eſt, inquit, immo Reipublicæ intereſt, id operis refellendum te ſuſcipere, quod nuper in tuum de ſtudiis Monaſticis tractatum publicæ luci tradidit Abbas de Trappa. compertum quippe mihi eſt, cujus momenti ſit hæc reſponſio: eam ubi perfeceris, illico apud me deferri cura: eam ipſemet diſcutiam, gratiſque ejuſdem edendæ privilegium concedi præcipiam. novi animi tui moderationem, tuamque in Abbatem de Trappa obſervantiam. quare te ad utramque hortari ſupervacaneum putaverim.

XLVII Animadverſiones Mabillonii in Abbatem de Trappa.

Id operis ea celeritate ac diligentia abſolvit, ut tribus poſt evulgatam Abbatis Trappenſis reſponſionem menſibus, prælo maturum reddiderit. Opus porro illud Inſcriptum voluit: *Animadverſiones in Reſponſionem Abbatis de Trappa ad Tractatum de Studiis Monaſticis*. ratus videlicet eo *Animadverſionis* titulo ſuam ſe in laudatum Abbatem obſervantiam luculentius patefacturum: quæ quidem non impedivit, quominus ut ſtrenue, ita erudite ſuam de ſtudiis ſententiam propugnaret, Abbatis refelleret objectiones, reſponſa dilueret, ac criminationes, plurima ſibi ab eo male impacta oſtenderet, diſſimulatum ac deformatum quæſtionis ſtatum reſtitueret; an ſcilicet ſtudia litterarum, ea maxime, quæ viros Eccleſiaſticos decent, Monachis liceant? majora tamen

aut

aut minora pro cujuſque captu & Superiorum judicio : non autem ut falſo expoſuerat Abbas, utrum diſciplinæ omnes, de quibus diſſeruerat Mabillonius, Monachis neceſſariæ ſint ; longe minus, an Monachi omnes indiſcriminatim majoribus altioribuſque ſtudiis vacare debeant? id enim numquam Mabillonio in mentem venerat. Quæ omnia ea ſtyli moderatione animique modeſtia ſcripſit, qua major ab auſterioribus deſiderari non potuit. Fuit hæc non modo celebriorum, quorum verbis uſum ſum, doctorum, ſed aliorum quoque omnium vox, unaque ſententia.

Mabillonii modeſtiæ ſpecimen egregium.

Lubet hoc loco quidpiam Lectori forte non ingratum referre circa Doctorum approbationes, & egregia illorum in prædictum Mabillonii opus encomia. ſcilicet cum ejuſmodi de ſtudiis Monaſticis argumentum non exigui momenti videretur ; celebrioribus Pariſienſis facultatis Doctoribus examinandum traditur, idque in ſe muneris libentiſſime ſuſcipientes, mature ac diligenter expenſum opus, tantis ſubinde laudibus exornarunt, ut earum pro innata ſibi modeſtia impatiens Mabillonius, ad eas in lucem edendas nulla ratione adduci poſſet. unde non ſemel, perperam tamen tentata atque omnino deſperata vel minimæ laudis particulæ mutatione, nonnulla ex approbatione

ne partim moderatur, partim ipſe reſecat, quæ modeſtiæ graviora videbantur: quod ubi ex inopinato audit qui approbationem dederat per epiſtolam, quæ in alio alioquin acrior, aſperiorque videatur, graviter de ipſo queritur, quod nempe præter officium, præterque morem caſtigare ſuos examinatores auſus fuerit: affirmans ſe, quæcumque dixerit, vindicaturum, neque paſſurum quidpiam vel minimum ſua in approbatione, cujus verba omnia ponderaverat, immutari: quo dicto, Typographum adit, reſecata reſtitui jubet, prohibetque vel particulam laudis detrahi. Duplex eodem ferme tempore hujus in Abbatem operis prodiit editio; ex cujus lectione Abbatem & Mabillonium in eamdem prope abire ſententiam facile quivis intelligat.

XLVIII. Mabillonius Abbatem Trappenſem adit.

Eo res proceſſerat, cum Sereniſſima quædam Princeps fœmina, quæ eximiam utriuſque pietatem prope venerabatur, nihil apud Mabillonium non molitur, quo ad inviſendum Abbatem adducat; rata nimirum vel hoc mutuo congreſſu poſſe conciliari utriuſque animos, facileque dirimi controverſiam. Paruit fœminæ conſilio pacis perinde ac caritatis ſtudioſus Mabillonius; ſeque ad Cœnobium Trappenſe contulit anno MDCXCIII. Ut vero primum alter alteri occurrit, ſe ſe invicem flexis genibus complexi ſunt;

nec

nec divelli ante potuerunt, quam plurima incredibilis humilitatis argumenta ultro citroque dediſſent. Hæc qui ſerio reputare voluerit, facile intelliget non ſine magno Superum conſilio factum eſſe, ut viri integerrimi honeſtiſſima pugna congrederentur, ne ſanctiſſimo pacis ineundæ exemplo careremus.

XLIX Mabilloniũ laudat Abbas Marſolier.

Cæterum cum inita inter utrumque diſceptatio undequaque percrebuerit; non abs re fortaſſe videbitur ea hic referre, quæ in prælaudati Abbatis vita eleganter prorſus adornata memorat celebris ejus encomiaſtes Abbas Marſolier. *Ex iis*, inquit, *qui opus de vitæ monaſticæ officiis impugnarunt, claruit, principemque locum obtinuit clarus ipſe Mabillonius. Is enimvero cum Abbatis ſententiam non omnino approbaret, immo in multis ab eo diſcreparet; tractatum edidit non verborum aſperitate, non ſcommatibus, non felle, jociſque ut plurimum fieri ſolet, reſperſum, ſed mira eruditione nec minori modeſtia, inſolenti animi moderatione, ſingulari prope morum elegantia & humanitate ubique conditum; & ſane ea caritate, quæ tantopere in Euangelio commendatur, viroſque decet maxime religioſos. amat vindicari veritas, vultque qui totus caritas eſt, Deus, ut fide mentibus, ſic cordibus caritate dominari.* Huic Mabillonii operi aliud ſubinde Abbas de Trappa ſub ſequenti titulo oppoſuit: *Reſponſio ad Tractatum de Studiis*

diis Monaſticis : quam reſponſionem anno proxime ſequenti excepere Mabillonii animadverſiones, ſeu conſiderationes. Res eo ſtetit, nec ulterius proceſſit. Exinde vero nulla ſibi viciſſim non dedere ſinceræ benevolentiæ ac exiſtimationis argumenta duo illi præſtantiſſimi viri, vel potius duo magna Monaſtici Ordinis luminaria, regulariſque columina diſciplinæ. Dignum ſane, quod Chriſtiani omnes æmulentur, ac ii maxime qui dignitate præfulgent, cæteriſque prælucere debent, pacis & caritatis exemplum.

L. Quid de Studiis Monaſticis ſenſerint Summi Pontifices.

Fuit is celeberrimæ controverſiæ exitus, quam etſi hoc loco nec refricare, nec curioſius ſcrutari ſit animus; obſervatum tamen velim, Summos Eccleſiæ Pontifices, ſuis non ſemel litteris approbaſſe Congregationis noſtræ ſtudia, ac ea maxime, quæ Sanctorum Eccleſiæ Patrum recenſendis & illuſtrandis operibus aſſidue impenduntur. Id ſuis ſæpe litteris Apoſtolicis teſtatum omnibus voluit, qui doctrinæ, omniumque virtutum ſplendore toti Eccleſiæ præfucet Clemens XI. Pontifex Maximus, potiſſimum vero nuperis quibus novæ, eique nuncupatæ Gregorii Magni editionis occaſione, Præpoſitum noſtrum Generalem dignatus eſt; quaſque hic omnium oculis ſubjicere juvat.

Diu-

Dilecte Fili Salutem.

Diutius prætcrire ſilentio non poſſumus, quantopere nobis acceptum, probatumque ſit ſtudium, quod Congregatio tua SS. Eccleſiæ Patrum operibus recenſendis, iiſque nitidiori quàm antea cultu, publicam in lucem proferendis impendit. Quod quidem ſtudium & profeſſione virtuteque veſtra maxime dignum duximus; & non vobis dumtaxat glorioſum, verum etiam rei Chriſtianæ ac Orthodoxæ in primis Religioni ſaluberrimum fore confidimus. Quamobrem te, monachoſque tuos in Domino hortamur, ut in egregio hoc inſtituto ſtrenue, diligenterque pergatis; pro certo habentes, quidquid in honorem commodumque veſtrum a Pontificia benignitate poterit proficiſci, id nullo vobis umquam tempore defuturum. Interea vero mitti ad te juſſimus ſacra quædam munuſcula, iis potiſſimum eruditis viris, arbitratu tuo, diſtribuenda, qui in ejuſmodi editionibus adornandis incumbunt; ut ipſis argumento ſint paternæ qua eos complectimur, Caritatis. Tibi autem dilecte Fili, præcipuæ noſtræ benevolentiæ pignus, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ xix. April. 1706.

Breve Apoſtolicum in gratiâ ſtudiorum Congregationis S. Mauri Præfecto Generali directum.

Idipſum quoque glorioſæ mem. Alexander VIII. & Innocentius XII. teſtatum antea fecerant; nec ſemel Monaſtica ſtudia toti non ſolum Eccleſiæ, verum etiam Inſtituto noſtro ſaluberrima declaraverant. Quamobrem prælaudatus

Inno-

Innocentius inito nonnullas in Italia Benedictini Ordinis Congregationes reformandi consilio, inter varias, atque hujusmodi reformationi firmandæ opportunas, quas condi jussit, regulas, id in primis, ut patet ex Decreto Maji 12. ann. 1695. statutum voluit, ut Monasterium unum efformandis ad pietatem & doctrinam junioribus professis designaretur. Vindicandis porro Monasticis studiis opportunissima videtur Cardinalis Josephi Aguirrei directa Mabillonio Epistola, quam primus publici juris fecit Josephus a Porta Theologus Casinensis initio versionis latinæ, Venetiis editæ ann. 1704.

Epistola Cardinalis Josephi Aguirrei.

Admodum Reverende Pater.

Nihil mihi gratius accidit, quam ubi litteras tuas accipio, aut libros lego, præsertim hunc noviſſimum de ratione ſtudiorum Monachalium adverſus piiſſimum illum Abbatem de Trappa. Nondum mihi fuit tempus totum illum percurrendi; ſed adhuc reſtat major ipſius pars evolvenda. cum autem ſcriptus ſit lingua Gallica mihi peregrina, in qua hactenus exiguos progreſſus feci, ſolum dicere poſſum cum veteri illo Philoſopho: Quæ intellexi bona ſunt, credo & quæ non intellexi. *Idem mihi paſſim accidit in libris Gallicis etiam prædicti Abbatis, quos ingenti numero apud me habeo, & interdum lego, aut coram me legere facio. Certe in hac parte*

ſive

ſive defenſione ſtudiorum Monaſtici Ordinis, rationes tuæ, probationes & documenta ex tota fere antiquitate Chriſtiana deſumpta, videntur plane rem extra controverſiam ponere. Si nulla utilitas, nullum meritum, nihil denique laudabile eſt in ſtudiis & exercitiis litterariis Monachorum; væ majoribus noſtris, qui tot ſæculis a tempore Patriarchæ Benedicti in iis laborarunt; væ tibi, tuique ſimilibus in Congregatione Sancti Mauri; væ & mihi aliiſque meorum Fratrum in Hiſpania, & alibi fere. Profecto miſerabiliores ſumus aliis hominibus, ſi tota nocte laborantes nihil cepimus: atqui loquendo de iis qui pietatem in primis colunt, ac ſubinde litteraria ſtudia debito modo ac tempore in eum ſcopum dirigunt, immane paradoxon & minime tolerandum erit, ſi ab illo ſcriptore aut quoquam alio damnentur. Melius certe ac rationabilius invehi potuiſſet adverſus quoslibet præſertim Monachos, præpoſtero fine, modo, ac via ſtudentes, aut plus ſapere appetentes, quam oportet ſapere: nimirum ex his capitibus peccatur frequentiſſime ab iis etiam, qui Monaſticam vitam profeſſi plus juſto atque incongruo modo exercitationibus litterariis ſe dedunt, non tam in Dei obſequium, utilitatem publicam & privatam laborantes, quam ob curioſitatem, ambitionem, aut illiberalem quæſtum; quin & ſæpe non ſolum in Scholis publicis, ſed etiam privatis Monaſteriorum magna temporis pars inſumitur, jactura irrepa-

rabili

rabili, in quæſtionibus prorſus inutilibus, ſimilibus arancarum telis, in quibus nihil eſt præter ſcholaſticam quamdam ſubtilitatem. Id mihi etiam contigiſſe pro more ſæculi, qui etiam in Religioſos viros & clauſtra Monaſtica irrepſit, fateor non abſque cordis mei mœrore: multa dictavi, ſcripſi, & typis mandavi parum utilia, quamvis plurima alia ejuſdem generis reſecaverim. Quæcumque de cætero edere contigerit, abſque ea labe ſane prodibunt: quin etiam ante jam edita, ſi recudenda erunt, ab ejuſmodi quiſquiliis liberæ erunt, quantum mihi licuerit. neque enim omnia illa, quæ primo aſpectu talia videntur, reſecari penitus debent, cum multa eorum deſerviant ad exercitationem congruam ingeniorum; & viam aperiant, mentemque exacuant ad graviores alias quæſtiones penitus intelligendas & explanandas. Laudandus itaque eſſet Scriptor ille, ſi dumtaxat adverſus hoc ſtudendi ac ſcribendi cacoethes, præſertim in Monachos calamum ſtrinxiſſet; atque ea in re me conſentientem ac laudatorem inveniret. Deſervient tamen illius ſcripta & obſervationes circa eam rem, ut Monachi omnes Sancti Patris Benedicti memores inſtituti noſtri potiores curas, majoremque temporis partem impendant in exercitiis ſpiritualibus & ſacris in regula præſcriptis: ſtudiis vero litterarum dumtaxat quantum & quatenus conferunt aut conferre queunt ad pietatem, perfectionem Chriſtianam, religioſam, monachalem, & tandem

ad

ad perfectam charitatem erga Deum & proximum. Sed quid ego immoror in iis explicandis, quæ uberrime a te insigni eruditione in hoc libro explanata sunt & erunt; quin & a Congregatione tua observantissima pariter & doctissima usu ipso ac vivido exemplo demonstrantur?

Perge igitur, Vir eximie, & prosequere uti hactenus, simul cum aliis Sociis, quotquot incumbunt similibus studiis, & præcipue correctissimis editionibus operum Sanctorum Patrum; quales profecto sunt in primis novissimæ SS. Ambrosii & Augustini, quorum postremos Tomos accepi cum ingenti animi voluptate, & non minori erga vos grati animi significatione. Ne prætermittas, quæso, gratias meo nomine reddere quamprimum Reverendissimo Patri Generali; & salutem plurimam impertiri eruditissimis Michaeli Germano, Theodorico Ruinart, Bernardo de Montfaucon, aliisque similibus. Vale, & tuis ac tuorum Sacrificiis & precibus me nimium egentem Deo commenda. Romæ 22. Jan. 1692.

LI Mabillonii moderatio ac prudentia Christiana.

Cæterum quamvis in hac de studiis disceptatione plurimum ob adversarii famam claruerit Mabillonii moderatio; haud tamen absimilem in aliis adhibuisse docent isthæc digna quæ referantur, Rei diplomaticæ verba. *Jam vero*, inquit, *diligentiæ moderationem conjungere operæ pretium duxi, ratus ut in moralibus civilibusque rebus, sic in artibus omnem definitionem esse periculosam,*

præſertim in illis, quæ necdum penitus illuſtratæ ſunt, diſciplinis: propterea quod ex incautis aſſertionibus facile in errorem inducantur alii, quibus comperta & explorata non eſt earum rerum cognitio. Quapropter in affirmando, quod obſervaveram, tardus & circumſpectus, in negando parcior & religioſior eſſe ſtudui. Neque tantum hac in parte moderationem exercere viſum eſt, ſed etiam in modo ipſo ſive tractandi, ſive refutandi, pacato ac tranquillo, qualis veritatis ac Chriſtianæ Religionis cultores decet. Unde ne vera quidem objecturus ſum, niſi cauſa id exigat: mihique ob oculos præcipue propoſitum fuit, ne quod mihi verbum in mentem veniret, quo quiſquam offenderetur. ſatius quippe arbitratus ſum fortia mollius dicere, quam vehementius. nam quæ fortia, dum dicuntur, videntur, male ſana, cum læſerint, merito reputantur. Sed hac in re opus eſt maxime prudentia Chriſtiana, ut nec veritati obſit languens ac frigidus ſtylus, nec immoderatus caritati. Ab his legibus ſi quandoque me aberraſſe contigerit, id mibi, quæſo, benignus lector ignoſcat; & præter animum ac votum accidiſſe perſuaſum habeat.

Et certe moderationi potiſſimum ſtudebat Mabillonius; nec umquam tuendæ ſuæ ſententiæ cauſa cujuſpiam animum offenſum aut a ſe divulſum volebat. Id vero præſertim præcavere videbatur, cum orta, religioſa inter Sodalitia,

tia, aliqua contentione, Ordinis jura, privilegia, aut id genus alia ſcriptis vindicanda occurrebant. Tametſi enim omnes Chriſtiano, quo par erat, proſequeretur adfectu; propenſiori tamen ſtudio eos complectebatur, qui divino cultui eſſent mancipati. unde iſta Doctoris Melliflui verba frequens uſurpabat, *Unum Ordinem profeſſione teneo, cæteros caritate*. Nihil umquam aut cæca mente, aut humano intuitu adgredi ſolitus, ſed uno ſemper veritatis atque æquitatis amore ductus rem ſibi nullam, niſi validis rationibus, gravique autoritate firmatam, agendam ſuſcipiebat: ad ſuſceptam vero ſtrenue tuendam, feliciterque ſuperandam non parum juvabant ejus in rerum uſu præclariſſimarum eximia ſagacitas, in rebus diſcernendis acre limatumque judicium, demum in dilucidandis expedita ingenii facultas.

LII Jura precedentiæ contra Canonicos Regulares vindicat.

Argumento ſunt gemina illa ſcripta, quæ adferendis contra Regulares Canonicos, Sodalium noſtrorum Divionenſium in Burgundiæ Comitiis, præcedentiæ juribus concinnavit: quæ quidem ejuſmodi ſunt, ut, peritorum judicio, non tam documenta, quam eruditæ diſſertationes dici jure ac merito debeant, ob varia ſcilicet, quæ in eis paſſim illuſtrantur, hiſtoriæ capita. Ea tanti fecere Germaniæ Monachi, ut ad ſimilia quoque

jura vindicanda non ſemel ac feliciter uſi, ad publicum commodum latine reddi, typiſque ſubinde conſignari curaverint. Quam in ejuſmodi rebus apprime verſatus foret Mabillonius, non ita pridem palam fecerat, cum eximios, aureoſque plane libros de Imitatione Chriſti, decertantibus licet, atque acerrime reclamantibus Regularibus Canonicis, Ordini Benedictino, ſuoque legitimo auctori Joanni Gerſen Vercellenſis S. Stephani Cœnobii Abbati adſeruit. Extat ea de re opuſculum ann. MDCLXXVII. luci publicæ datum, in quo Mabillonius valide adeo, ac erudite aſperiora refellit adverſariorum ſcripta, ut omnem ipſis præcluſiſſe defenſioni viam in confeſſo ſit apud omnes. Nemini porro non arridet quæ in hoc opuſculo eminet Mabillonii moderatio, atque in ipſo concertationis æſtu, pacis ac religioſæ caritatis ſtudium prope ſingulare. Utrumque abunde teſtantur in fronte operis poſita, ac viro plane religioſo digniſſima verba: *Si mihi*, inquiebat vir caritatis ſtudioſiſſimus, *aut lædendæ vel minimum caritatis, aut, quam tuendam ſuſcepi, cauſæ amittendæ optio daretur; librum de Imitatione Chriſti aureum licet atque Ordini noſtro longe honorificum adverſariis concedere, quam Chriſtianam vel leviter caritatem violare multo præſtabilius duxerim.* Et re quidem vera id ei in omni contentione potiſ-

ſimum

ſimum curæ erat, ut numquam hujuſmodi concertationibus diſcinderentur Religioſæ familiæ. Noverat ſiquidem vir moderatiſſimus, averſos vel ſemel animos perdifficile conciliari. Quamobrem ubi diſceptatio ad certum terminum devenerat, a cœptis, jure licet ac ratione longe ſuperior, deſiſtebat: mallebatque non ſuas modo, ſed & adverſariorum reſponſiones ſilentio premere, quam ulterius progredi non ſine diſpendio caritatis, quam unam & ipſe ſibi proponebat, & cæteris omnibus propoſitam eſſe volebat.

LIII Ejus pacis ſtudium.

Eo pacis & caritatis amore incenſus nullam in familiari congreſſu diligentiam non adhibebat, ne quemquam verbis offenderet, aut diſceptando vel leviter commoveret. Hinc pro viribus rixas & contentiones procul amandare ſollicitus, hæc cum Apoſtolo gentium proferre ſolebat: *Si quis contentioſus ſit inter vos, nos talem conſuetudinem non habemus.* Et tum quidem rem tacitus audire, quam vanam, ac ſæpe noxiam diſputationem inire multo tutius ſatiuſque ducebat. Hinc non ſine adſtantium admiratione viris inferioris ingenii, longeque inferioris doctrinæ ultro cedebat: illorum placita, ſi quando, ut ſolent indocti, magiſterium arrogantius affectabant, ceu diſcipulus auſcultare, ab iiſque etiam erudiri non dedignabatur; immo, ceu revera quidpiam fuiſſet edo-

ctus, ipſis, qua pollebat morum elegantia & humanitate, gratulabatur. Quam gloriæ ſuæ negligens, tam ſtudioſus erat alienæ: neque audire neque dicere quidquam ſuſtinebat, quo vel minima labes alicujus famæ aſpergeretur. Eruditi nomen tota qua patet Republica Litteraria jure adeptus, de ſuæ tamen eruditionis fama haudquaquam gloriabatur; celabat ultro, adeo illam non oſtentabat, ſcire, quam ſciri longe cupidior. Siquidem exploratum habebat vir Religioſiſſimus, nihil ſcientiæ ac virtuti tam inimicum, quam ſcientiæ propriæque virtutis opinionem. Humilitate, inquiebat, humilitate opus eſt, quæ fundamentum eſt ſapientiæ, & veræ gloriæ ac doctrinæ ſeges: quæ non quid actum ſit, ſed quid agendum, non quid adſit, ſed quid deſit, attendit: quæ demum non de quæſito gloriatur, ſed de quærendo ſollicita eſt. Sic modeſte ſentiebat vir modeſtia inſignis; eamque calcabat viam humilitatis. Hujus amore captus, ſi alicujus interdum Sodalis ſocius domum cum eo ſæcularem adiret, illorum ſe mox oculis ſubducere ſtudebat, quibus ſe vultu ignotum putabat, vultu inquam (cui enim Mabillonii nomen peregrinum eſſe poterat?) ibique ceu obſcuri, nulliuſque fuiſſet in orbe litterario nominis Monachus, ac Monachorum noviſſimus, mo-

deſte

deſte admodum ſe gerere non ſemel, nec ſine admiratione obſervatum eſt. Qui porro ſic latitantem Mabillonium ſolummodo viderant, dolebantque tanti viri alloquendi præteriiſſe occaſionem, ejus ſaltem modeſtiæ & humilitatis teſtes ac ſpectatores fuiſſe ſibi gratulabantur.

Præſtat hic alterum proferre eruditi viri humilitatis ſpecimen, ad illorum videlicet documentum, qui imperitorum more ſupra modum intumeſcentes, res penitus ignorare, quam ab aliis, quos doctrina putant ſua longe inferiores, addiſcere malunt. Is itaque ubi primum me ſibi ſocium adſcivit, diſcendis Græcis litteris aliquandiu addictum voluit; eoque in ſtudio perinde ac in cæteris non ipſe ſolum per otium opem tulit, verum etiam, qui me græce erudiret, magiſtrum tradi curavit. Hic vero per mihi mirum accidit, cum, ſive mecum ipſe quoque Græcis litteris operam dare, ſeu mihi ſtimulos addere vellet, docentem magiſtrum ceu diſcipulus audire, eoſdem, quibus utebar, libros legere, locutiones explanare, verba ac verborum radices ſcrutari non eſt dedignatus. Quantum porro arrideret ipſi hæc humilitatis exercitatio, vel ex ea, quæ tunc in eo elucebat, vultus mentiſque hilaritate facile quiſque intelligebat.

Hic nonnulla alia caritatis ſimul & hu- LIV

Ejus in adverſarios humilitas.

militatis exempla memoranda ſeſe offerunt; & ea maxime, ex quibus qualem ſe in adverſarios geſſerit, plane edocemur. Ex iis unum, qui per annos aliquot aſperrimis in eum ſcriptis invectus fuerat, qua officiis, qua obſequiis, qua demum urbanitate, animique modeſtia ſibi ita demeruit, ut in ſe reverſus temere in eum calamum ſtrinxiſſe ultro profeſſus ſit. Ipſe vero injuriæ immemor, memor clementiæ, nullum exinde officii ſtudiique genus ei non detulit: quin etiam calamum acuentem amicum a ſcribendo deterruit. Quid alterum memorem, qui eum ab ſuis ad adverſarii partes deſciviſſet, ac beneficiorum prorſus immemorem non ſemel ſe oſtendiſſet; ad ſe tamen non voluntate, ſed neceſſitate confugientem incredibili caritate excepit; nullamque, quo illum ab infelici caſu eriperet, gratiam & autoritatem non adhibuit; ſubinde vero ereptum, rurſuſque beneficii immemorem non ſolum non indigne tulit, ſed pari quoque, quo antea, ſtudio complexus eſt.

Haud abſimili caritatis, atque humilitatis amore inflammatus ab iis veniam interdum rogabat, quorum animos vel hac animi demiſſione demulcere, ſibique demereri ſe poſſe arbitrabatur: eo demum humilitatis (quam Chriſtianorum omnium, maxime vero Religioſorum teſſeram

ap-

appellabat) ſtudio tenebatur, ut ejuſdem exercendæ occaſionem prætermitteret nullam. Nonne, ajebat, æquum eſt, ut vel interdum vanitatem proteramus noſtram, qui tam ſæpe inaniter gloriamur, noſque immerentes licet ſupra modum extollimus? expedit rebus quandoque nos conflictari adverſis, ut vel ex iis infirmitatem experiamur noſtram. Neque enim ſumus alicujus apud Deum meriti, niſi ejus cauſa, & amore adverſa quæque ſtrenue ſuſtineamus. Hunc demiſſi animi ſenſum cuidam, cujus pietatem probe noverat, mœrenti amico aliquando ſuggerebat, quem affictum ſibi crimen ab ſe amoliri vix patiebatur. Is quippe, reponebat Mabillonius, apud Deum meriti decerpit plurimum, qui vindicandæ ſuæ apud homines famæ ſtudioſius animum non intendit. Deinde addebat: Adverſa quæque æquo demiſſoque animo ferre manifeſtum divinæ in nos benignitatis argumentum eſt, ac maximum ſane quod in hac vita expectari queat laboris virtutiſque præmium, in terris quidem parvi aut pæne nihili æſtimatum, quippe non ſatis mortalium mentibus exploratum, ſed in cœlo, ubi vera felicitas eſt, pro merito æſtimandum. Hæc ut divina autoritate firmiora redderet, ac plane perſuaderet, locum illum indigitabat Euangelii Sancti Marci, in *Marci cap. 10.*

quo

quo inter multa, eaque varia, quæ omnia relinquentibus promittuntur etiam in hac vita præmiorum genera, perſecutiones haud poſtremum locum obtinere dicebat.

LV
Quam humilis in adornādis operibus.

Hæc de humilitate, cujus exercitio mirum in modum oblectabatur, quamque veluti fundamentum poſuiſſe videbatur, cui tanta vis eruditionis, tantæque animi dotes tuto inſiderent, ſentiebat Mabillonius. tumque potiſſimum dabat virtutis hujus ſpecimina, cum opus aliquod publicæ luci conſignandum parabat. Tunc enimvero eruditos, quin & alios doctrina licet inferiores viros conſulere, eorumque parere conſiliis non dedignabatur. maxime vero cum quidpiam aut vindicandum, aut impugnandum adgrediebatur: tum namque edenda diligentiſſime examinabat, diuque & accurate expendebat, ne quid aut veritati non conſonum, aut contrarium caritati proferret. Tantum Præpoſitis deferebat ſuis Mabillonius, nihil ut iis umquam aut inconſultis, aut invitis emiſſum in lucem voluerit: immo vero ut ipſis interdum morem gereret, non pauca, ſuo licet judicio haud contemnenda, ultro ſuppreſſerit. Studia ſua ut Præpoſitorum conſiliis, atque ad Deum precibus dirigerentur, enixe humiliterque rogabat; nec ullum umquam in ſe opus, niſi juſ-

Mabillonii obedientia.

ſus

ſus ſuſcipiebat . adeo a Præpoſitorum ductu ſimul & imperio pendere unice cupiebat ; præviamque ac ducem amabat obedientiam . Porro ita debitæ Præpoſitis ſuis obedientiæ dabat operam , ut longe majorem Eccleſiæ , atque ab ea conſtitutis judicibus daret . Eam Mabillonius in cunctis ſuis operibus , ac præſertim in nupero ante obitum evulgato Annalium tomo palam fecit his verbis : *Multa* , inquit , *mihi condonari , quæ quidem tolerabilia ſunt , multa indulgeri opto , excepto ſi quid contra quempiam inofficioſe , maxime ſi quid vel tantillum contra debitam Catholicæ Romanæ Eccleſiæ reverentiam vel doctrinam mihi nec cogitanti , & nolenti excidiſſet . abſit enim , ut ab hac regula veritatis , matre , inquam , Eccleſia umquam diſſentiam ; cujus judicio ac cenſuræ , quæcumque hactenus ſcripſi , vel poſthac ſcripturus ſum lubens volens & ex animo ſubmitto ; in cujus ſinu & fide ſemper vixi , & conſtanter adjuvante Deo emori exopto .*

Mabillonii in Eccleſiam , Sedemque Apoſtolicã obſervantia.

Non prius quidquam operis ſolebat adgredi , quam Sanctiſſimo coram Sacramento , ejuſdem rite adornandi , atque abſolvendi gratiam poſtulaſſet . Subinde vero primum operis folium , ceu laboris ſtudiique primitias Chriſto nuncupaturus , reverenter ſuper altare deferebat . In cella nihil niſi præmiſſa , qua potiſſimum nitebatur , oratione inchoabat . noverat ſiqui-

Pietatis ſpecimen

ſiquidem vir religioſiſſimus, ab uno Deo bonorum omnium fonte cuncta profluere; vanaſque, non tantum noxias ſine ipſo fore, quæ ſtudiis comparantur, rerum omnium etiam præclariſſimarum notitias. Ut debitæ virtutibus gloriæ ſe ſubduceret, eas humilitati tegendas committebat ſimul & ſervandas. cæteris teſtibus nemo major, ſeipſo judice, nemo minor. quo ſibi vilior, eo major erat ejus in Deum fiducia, deque acceptis ab eo beneficiis intenſior grati animi ſenſus. Illud præ cæteris verebatur, ne vel minimam gloriæ, quæ uni Deo tota debetur, particulam retineret ſibi: nihilque diligentius cavebat, quam ne oculis hominum quidquam objiceret, unde ſanctitatis colligeret opinionem, aut aliquo in pretio eſſe videretur: unde laudatores haud ſecus, atque inſidiatores fugiebat. quo ipſe afflatus erat ſpiritu humilitatis, eundem cæteris afflare ſtudebat. Gratulare, ajebat aliquando cuidam juniori, ſibique dudum cariſſimo ſodali, qui primum ſuum opus non ſine quodam eruditorum applauſu in lucem emiſerat: gratulare Deo, qui, quo tibi animum adderet, ſtudia tam benigne obſecundavit tua: at cave in primis, ne tibi, ſed uni Deo totam probati omnibus operis gloriam tribuas. Et ſane infelix, ac miſerabilis plane foret conditio

Fuga laudis.

no-

noſtra, immo juſta nobis inureretur ingrati animi nota, ſi, quibus a ſupremo donorum omnium largitore Deo ornati ſumus animi dotibus, ad vanam gloriam, noſtrique jactantiam uteremur. Cum enim omne donum optimum, & omne donum perfectum deſurſum ſit, deſcendens a patre luminum; cœlo referenda eſſe noverat, quæ de cœlo eſſent; & cujuſcumque generis, ſive innata, ſive labore parta, vel ſuperioris ſupernaturaliſque ordinis dona tantum pretii habere, quantam ex illis Eccleſia ædificationem acciperet. *Jacobi 1. cap. 7.*

LVI Mabillonii modeſtiam & doctrinam commendant viri Principes.

Ea animi modeſtia cum ſingulari prope eruditione conjuncta, omnium in ſe convertebat oculos, omnium ſibi demerebatur amorem, nedum exiſtimationem. Vixit ſummis ſapientiſſimiſque Principibus carus; & quo plus cupiebat latere, & neſciri in ſolitudine, eo, Deo ſic diſponente, frequentius ab iis adiri, atque ad audiendam ſapientiam ejus deſiderari videbatur. Ecquem, amabo, fugiat, qua in eum humanitate uſus ſit Sereniſſimus clariſſimæque mem. Burgundiæ Dux, cum ab Eminentiſſimo Cardinali Eſtræo invitatus, Sangermanenſe Cœnobium adiit, Natale primogeniti ſui Britanniæ Principis, publicis in Eccleſia precibus, ſolemnique pompa celebraturus? quo illum loco haberet Dux quoque Aurelianen-

nenſis non obſcure ſignificavit, cum in prædictum Sangermanenſe Cœnobium exceptus, mox latitantem ac de more Magnatum oculos fugientem Mabillonium inquiſivit. cui tum ipſe, in medium prodiens, Miror, inquit, Sereniſſime Princeps, quod mei meminiſſe digneris. nec enim is ſum, qui tantum honoris merear. Cui tum Princeps: Abſit, ut tanti, mihique dudum amiciſſimi viri memoria animo umquam excidat meo. Quo dicto, ut ſuam in eum exiſtimationem palam oſtenderet, præclara illius merita ſuis coram aulicis laudibus proſequi non eſt gravatus. Infinitus prope ſim, ſi proſequar quantam apud Regni primarios, doctrina perinde ac dignitate conſpicuos viros adeptus ſit virtutis juxta, ac eruditionis famam, quantum apud omnes nominis pondus, quantam ubique laudem & autoritatem. Verum ſilentio premere non licet quanti illum multis in locis fecerit, qui totius Eccleſiæ clavum ſapientiſſime tenet, Clem. XI. Id certe in primis teſtatus eſt, cum ad ſupremum honoris gloriæque faſtigium ipſe unus, gratulantibus ac plaudentibus cunctis, ingemiſcens & in lachrymas pene ad morbum uſque effuſus, aſſumptus, multorumque Summorum Pontificum veſtigiis inſiſtens, aureos plane Bernardi commentarios *de Conſideratione*, Eugenio

Ter-

Tertio filio quondam ſuo inſcriptos, quibus ipſe in tractandis continuis, iiſque graviſſimis totius Eccleſiæ negotiis uteretur, ſeparatim ab eo nova luce, novaque forma donatos voluit. Quo porro plauſu elegantiorem ſibique nuncupatam opuſculi hujus editionem exceperit dudum laudatus, nec umquam ſine laude nominandus Pontifex, luculenter aperiunt directæ ad Præpoſitum noſtrum Generalem D. Claudium Boitard, Pontificiæ litteræ, dignæ plane quæ hic omnium oculis ſubjiciantur.

Summi Pontificis in Mabillonium exiſtimatio.

Dilecte Fili Salutem.

Litteræ Pontificiæ.

Ornamentum profecto ſingulare acceſſit gratulationis officio ob exaltationem noſtram ad Apoſtolicum Solium filiali reverentia a te nobis exhibito, ex opuſculo D. Bernardi De Conſideratione, *quod elegantioribus typis nuper edi, ac noſtro nomini inſcriptum tuo ipſius & Congregationis, cui præficeris nomine, ad nos deferri curaſti. Cum enim probe teneamus quam ſalutare ſupremis Eccleſiæ Rectoribus argumentum in eo proponatur; cupimus ſane præclaro Prædeceſſorum noſtrorum exemplo pari ſpe fructus, ea inde attingere monita, quæ auctor ſanctitate æque ac doctrina celebris e Salvatoris fontibus hauſta, in electam ejuſdem vineam melliſluo derivavit eloquio. Gratum autem ſupra modum accidiſſe nobis hujuſmodi ſtudioſæ erga nos voluntatis ſpecimen explicare reipſa peroptamus: ac proinde*

inde paternæ noſtræ caritatis documenta numquam dęerunt tibi ac univerſæ Congregationi, iiſque potiſſimum qui in recenſendis Eccleſiæ Patrum operibus, pio ac laudabili inſtituto hactenus laborarunt, & adhuc indeſinenter laborant : quibus omnibus & ſingulis Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum 8. Martii 1701.

LVII Epiſtola de cultu Sanctorũ.

Quo Mabillonium loco haberet laudatus Pontifex, haud ita poſt luculenter teſtatus eſt. Enimvero ut erat Mabillonius religione & eruditione perinde conſpicuus, immodicos quoſdam honores inique ferens, qui in nonnullis Galliarum locis præter ſapientiſſimas a Summis Pontificibus præſcriptas regulas, quibuſdam Sanctorum ignotorum, ſeu ut vocant baptizatorum reliquiis Roma advectis impendebantur, de hujuſmodi cultu modeſte diſſeruit, ut abuſum illum evellere, medicamque ei manum admovere ſatagerent cuſtodes religionis Præſules. Rogatus igitur ſententiam aperire ſuam de duorum tumulorum inſcriptionibus, quarum altera in agro Veſontionenſi, altera apud Ambianos nuper reperta fuerat, de corporibus in iis inventis, eſſentne Chriſtianorum, an paganorum? Et ſiquidem Chriſtianorum, an Sanctorum dicenda eſſent, illiſque cultus impendi poſſet, qualis corporibus Sanctorum Roma advectis haberi ſolet? an veri præterea

terea Martyres habendi eſſent illi ſive anonymi, ſive obſcuri nominis, quorum corpora cœmeteriis eruuntur? quibus indiciis eorum Sanctitas, & Martyrium diſcerni poſſent? quo denique cultus genere Sancti illi incogniti eſſent honorandi? Rogantis voto ut faceret ſatis, eoſque revinceret hæreticos, qui Eccleſiam ea de re velut ſuperſtitioſi cultus ream traducunt, quaſi Sanctos perſonatos fidelibus colendos exponat, epiſtolam ſub nomine *Euſebii Romani ad Theophilum Gallum de cultu Sanctorum ignotorum* ſcripſit, ea ſane ſtyli moderatione, ea erga ſacras reliquias reverentia, eoque demum quo fervebat religionis ſtudio, ut eam una cum eruditis Catholicis quam plurimi Galliarum Præſules adprobatione exceperint; ex iiſque nonnulli ad præſcriptum ejus Sanctorum ignotorum cultum in ſua ditione exactum voluerint. hinc non ſemel variis in regionibus, variiſque linguis recuſa legitur.

Nonnullis diſplicet hæc epiſtola.

Probatum pene omnibus, cordatis maxime viris Mabillonii Opuſculum, mole quidem exiguum, ſed argumenti præſtantia conſpicuum, nonnullis diſplicuit, quodam zelo ductis, aut alia, quam hic aperire parum intereſt, ratione impulſis. unde ægre ferentes ſeveriores Mabillonii regulas, mox alii aſperrimis in eum libellis invehuntur, quos vix quidem le-

ctos rejecere eruditi quique ; alii vero, ut invidiam auctori pararent, ejus lucubratiunculam ad Sacram Congregationem Indicis deferunt, libellulumque in eum edunt, qui vix natus interiit, silentioque sepultus est.

Qui porro præ aliis Italiæ litteratis hac in re versatissimus erat, inclytæ mem. Raphael Fabrettus, Mabillonium dudum sibi amicissimum in sua Inscriptionum collectione non semel laudat ; nonnullisque notatis, in quibus ab eo dissentiebat, operum ejus locis, argumentum de Sanctis incognitis omnino silet, nihilque hac in re Mabillonio opponit : unde eum cum Mabillonio in eamdem abiisse sententiam facile quisque intellexit. Et certe cultum illum Sanctorum ignotorum alicubi præter modum, præterque Summorum Pontificum mentem regulasque ab eis sapientissime constitutas longius quam par esset, processisse, ultro professi sunt, non solum e Gallis, sed e Romanis quoque peritissimi viri. Id luculenter admodum non ita post demonstravit Mabillonius in Commonitoria sua epistola ad D. Claudium Stephanotium Procuratorem nostrum Generalem in Curia Romana : quam ubi legere Congregationi Indicis præpositi Cardinales, non tantum approbarunt, sed ex iis quoque viri gravissimi eam ab omni

omni cenſuræ diſcrimine tutam palam nec ſemel conteſtati ſunt.

LVIII Iterum impugnatur hæc epiſtola.

Res hæc penitus compoſita putabatur, cum parvo interjecto tempore eam novis artibus acrius inſequuntur, nullamque, ut in prædictam epiſtolam cenſuram obtineant, autoritatem non adhibent quidam homines; jamque res eo devenerat, ut ea quin a Sacra Indicis Congregatione notaretur vix dubium eſſet, cum Eminentiſſimorum quorumdam Cardinalium conſilio franguntur adverſariorum conatus. illi namque pro ſuo in Eccleſiam Sedemque Romanam ſtudio Summum Pontificem adeunt monituri, indecorum ſane futurum, ſi Mabillonius de Eccleſia tantopere meritus nota afficeretur ob expenſum, qui præter modum atque Eccleſiæ regulas Sanctis ignotis impendebatur, cultum; quem ejus deceſſor, & Sacra Rituum Congregatio cohibere decretis ſuis ſtudioſe adeo contenderant. Ea ratione permotus Summus Pontifex mox pro ſua in Mabillonium (cujus epiſtolam commonitoriam adhuc Cardinalis legerat) ſingulari benignitate, Congregationi Indicis ulteriori cauſæ cognitione interdixit; ratus ſcilicet, Mabillonium pro ſua in Sanctam Romanam Eccleſiam atque Apoſtolicam Sedem obſervantia, ultro ac ſine mora obtemperaturum. Reſpondit

expectationi Pontificis Vir, ſi quis alius, Sedi Apoſtolicæ addictiſſimus. Enimvero ubi perſpectam habuit Pontificiam voluntatem, novam illico adornavit epiſtolæ editionem, lucique publicæ tradidit ann. MDCCV. Hanc porro novam editionem non temere, nec ſuomet arbitrio, ſed ad ejus nutum, penes quem reſidet ſumma præcipiendi auctoritas, a ſe factam monet in primis Mabillonius; ne quis eum rixas ſerere voluiſſe exiſtimaret, repetita hac editione, quæ potius eo tenderet, ut ſi quid obſcurius, explanaret, emolliret, ſi quid durius, emendaret denique, ſi quid ſecus quam par eſſet, in hac epiſtola ſcriptum nonnullis videretur.

Unum inſuper aut alterum in hac nova editione monitum lectorem voluit Mabillonius: nimirum ſi qua in ſacrorum delectu corporum errata aliquando contigerint, id nequaquam imputandum Eminentiſſimo Cardinali Vicario, vel Pontificii Sacrarii Præfecto Epiſcopo, quibus maxime hæc diſpenſatio competit; ſed potius alicui ex ſecundariis eorum miniſtris, qui præſcriptas ſibi regulas non ſatis interdum accurate ac religioſe obſervaverit; ſi tamen id unquam evenit.

Ad hæc ſi quid hac in editione duriuſcule quibuſdam ſcripſiſſe fortaſſe videbi-

debitur circa cultum hujuſmodi Sanctorum, id quoque tantum intelligendum monet vel de profuſo illo cultu, qui eis alicubi tribuitur contra Decreta Sacræ Rituum Congregationis a fel. record. Innocent. XII. approbata, quibus publica de illis Sanctis officia fieri prohibentur: vel de ſanctis illis corporibus, ſeu reliquiis, quæ certa non habent indicia martyrii ſive ſanctitatis. Neque vero in poſterum obſcurum eſſe poterit, quænam illa ſint indicia, poſtquam Sacra Congregatio ſuper reliquias inſtituta, declaravit, vitrea vaſcula ſanguine tincta cum Palmis, habenda eſſe pro certiſſimis martyrii indiciis, cæterorum ſignorum examine in aliud tempus rejecto.

Placuit Romanis omnibus ſecunda hæc editio; placuit Eminentiſſimis Cardinalibus, ab iiſque (eam referente Illuſtriſſimo juxta ac eruditione clariſſimo Franciſco Blanchino SS. D. N. ab honore cubiculario) non ſine auctoris laude excepta eſt: Placuit denique Summo Pontifici, qui, ea lecta, laudavit auctorem; litteraſque per D. Guillelmum la Parre Procuratorem noſtrum Generalem, ſuo nomine ad eum ſcribi voluit; quibus ſuam in eum exiſtimationem patrociniumque teſtaretur. Gratulationem Summi Pontificis ubi primum accepit Eminentiſſimus Cardinalis Gualterius, tunc

Miro Summi Pontificis ac Eminentiſſimorum Cardinal. plauſu excipitur Romæ nova epiſtolæ editio.

Apoſtolicus apud Regem Chriſtianiſſimum Nuncius, per Secretarium ſuum Mabillonio ſtatim ſignificavit. Eum quoque litteris ſuis ea de re dignati ſunt nonnulli alii Cardinales: in primis vero Eminentiſſimus Cardinalis Ottobonus, cujus verba præclariora ſunt, quam ut ſilentio præteriri queant: *Ut in Sacra Indicis Congregatione comparuit ..... Eminentiſſimorum Patrum unanimi conſenſu, pleniſque ſuffragiis commendata & adprobata fuit.* Is extitit novæ hujus epiſtolæ editionis exitus: quam eodem anno Gallice convertit cl. Abbas le Roy Regiæ Inſcriptionum Academiæ Socius; quamque variis in Regni, Belgiique urbibus multæ jam præceſſerant cum latino, tum gallico ſermone adornatæ editiones. profuit hoc Opuſculum non Catholicis modo, verum etiam & heterodoxis: ex iſtis ſiquidem qui candidiores erant, eo lecto, profeſſi ſunt, multa ſæpe cum Romanæ Eccleſiæ, tum Apoſtolicæ Sedi temere adſcribi vitioque verti, quæ vel privatorum hominum arbitrium, vel nimia pietas in cultum ſacrum invexit; quæ tamen Eccleſiæ Romanæ imputanda non ſunt.

Nova epiſtolæ editio.

In Mabillonio felicitatem ingenii, indolis facilitatem quiſque mirabatur, candorem vero animi prædicabant in primis heterodoxi, non tantum Catholici.

Inde

Inde nata apud utroſque probatæ fidei, ac ejus ſpectatæ integritatis fama.

LIX Mabillonii zelus pro converſione hæreticorum.

Porro ut ab heterodoxis ob egregia virtutis doctrinæque merita plurimi æſtimabatur; ita illos mira viciſſim caritate ipſe complectebatur. hinc frequentes ſuper illorum cœcitatem gemitus: hinc ad promovendam illorum converſionem, aſſiduæ ad Deum precationes, nullaque non adhibita ſollicitudo: hinc demum qua litteris, qua conſiliis, qua congreſſu familiari nihil non moliebatur, quo illorum mentes excitaret ad veri ſaltem amandi, & inveſtigandi cupiditatem. In primis autem objiciebat, quo miſerandum in modum ab Eccleſia Catholica, ac proinde a via veritatis defecerant, infauſtiſſimum ſchiſma; non diſceptandi quidem ſtudio, ſed eo mentis adfectu, eo ſalutis eorum deſiderio, eaque benignitate, ut eum vel inviti diligerent ſuſpicerentque docentem. Ex iis plerique illum ceu virum ſanctum habebant, atque in via ſalutis poſitum eſſe haud inficiabantur. ut autem ipſos a tanti viri communione ſegregatos minus puderet, internam neſcio quam jactabant, ſeu potius in Eccleſia fingebant, qua ſimul conjungimur, conſenſionem. Verum exprobranti Mabillonio, quod in re tanti momenti tam vanæ lubricæque opinioni temere adhærerent, lachry-

mabundi reponebant, plurimum ſe illos deteſtari qui priores tam funeſto ſchiſmati viam aperuerant, nec tamen, quod mirari ſubit, ad illud rejiciendum adduci poterant.

LX
Spargitur in Mabillonium falſus rumor.

Haud ita multo poſt noſtrum ex Alſatia reditum, occaſione miſeri cujuſdam apoſtatæ Monachi non Benedictini quidem Ordinis, ſed affinis cum Mabillonio nominis, rumor per Germaniam ſpargitur: Mabillonium a religione ſimul & a fide Catholica defeciſſe, atque apud hæreticos ſe ſe recepiſſe. Movit & quidem graviſſime Mabillonium profeſſioni ſuæ, fideique Catholicæ addictiſſimum, atque adeo ſtrenuum Eccleſiæ defenſorem tam atrox, maleque ſtructa calumnia; moxque ne incautos decipiat fictus tam iniquæ defectionis rumor, illum per epiſtolas reprimere conatus, nullum ex Catholicis, qui calumniæ fidem habuerit, non ſine ingenti animi gaudio accipit. Non ſic apud Anglos, alioſque hæreticos non ſic: ſiquidem & ſi de facti veritate omnino dubii, inde tamen gloriandi & adverſus afflictos Catholicos ſuperbius ſe ſe efferendi occaſionem arripiebant; quove lapſum turpiorem redderent, ac graviorem, Mabillonii merita ſupra modum extollebant. Id ubi audivit Mabillonius poſtremis ann. MDCXCVIII. diebus, Epiſto-

piſtolam ſcripſit encyclicam ; jamque amici ope plurima ejuſdem exemplaria undequaque per Angliam diſſeminare parabat, cum vel ex ſola quam apud Anglos adeptus erat probitatis fama, dilapſo penituſque reſtincto, qui apud illos percrebuerat apoſtaſiæ nuncio, eam ſupervacaneam duxit, ſilentioque involvit. Hanc porro epiſtolam inter Mabillonii ſcripta repertam, publicæ luci tradere juvat, tamquam eximium, poſteriſque dignum ſpectatæ ejus fidei, ac religionis monumentum.

LXI Epiſtola Mabillonii Fratribus Anglis Catholicis inſcripta.

Exigit caritatis, officiique ratio, ut horrendam prorſus, qua omnis mendacii Parens veſtram ſimul & fidem meam labefactare conatus eſt, calumniam ex animis veſtris abſtergam. id ingrati prorſus nuncii heſterna die accepi a duobus Anglo-Benedictinis, qui in Sangermanenſi Cœnobio ſolito curioſius rogata mei pro re graviſſimi momenti alloquendi facultate, ubi me accedentem viderunt, vel ob id tantum quod conſpexiſſent me, lætos ad ſe reverti ſignificarunt. Stupenti, reique myſterium penitus ignoranti tandem apèrta ac nunciata ſunt, quæ de mea a Religione ſimul & Fide Catholica defectione quaquaverſum per Angliam, ac Germaniam jactabantur, quamque inde captabant hæretici Catholicos inſectandi occaſionem. Id quam veſtri meique cauſa cordi meo grave moleſtumque acciderit, neminem veſtrum, Fratres Cariſſimi, non intelligere arbitror.

Tam-

Tametſi porro non ambigam, quin meam apud vos fidem jam abunde ſatis teſtatam fecerint, purgaverintque prædicti Anglobenedictini, meque Eccleſiæ perinde ac vobis inviolabili caritatis fideique vinculo conjunctum, ac mori potius, quam aut a fide, aut a communione veſtra divelli paratum, adſeruerint: meam nihilominus ipſe quoque fidem notam vobis facere, veſtramque in me ſollicitudinem, nec non expertam ex turpi adeo calumnia moleſtiam aliquatenus temperare operæ pretium duxi. Et quidem ſi meipſum inſpiciam, ne leviſſimam quidem tam horrendi facinoris ſuſpicionem præbuiſſe mihi videor: ſi vitæ rationem attendam, nulla mihi umquam cum hæreticis conſuetudo, nulla mihi cum illis de religione diſceptatio fuit. illorum dumtaxat non ſemel deflevi miſerrimam vicem; eoſque ad Eccleſiam, a qua tam inique defecerunt, pro viribus revocare ſtudui. Si itinera, nullum duobus ab hinc annis extra Gallias ſuſcepi, nec umquam Hollandiam cogitavi: ſi edita opera, nullum quoque, quod ſciam, niſi ad Eccleſiæ defenſionem, aut quam profiteor vitæ monaſticæ commodum, ac ea, qua par eſt, animi demiſſione in lucem protuli: ſi denique mentem ſcrutari meam velim, Deum teſtor & homines, me nuſquam tam nefarium apoſtaſiæ conſilium cogitaſſe, quin potius indubitanter perſuaſum habuiſſe, Catholicam Romanam Eccleſiam centrum eſſe unitatis, veritatis firmamentum, cui fidelis quilibet morem

gere-

gerere, atque immobiliter adhærere debeat; unam eam esse, quæ errori subesse nequeat, unam quæ salutem dare possit; necessariam quoque esse visibilem autoritatem, qua sive Fidelium dubia, sive controversiæ dirimantur: adeo ut ea deficiente nulla sit, aut esse queat fidei unitas, aut certa regula veritatis. Argumento nobis sunt vanæ eæque propemodum innumeræ quæ oculis nostris subjiciuntur hæreticorum Sectæ, quæ vel ad Deismum vel Socinianismum seu potius ad impietatem recta collineant: ex quibus quam opportuna ac necessaria sit suprema illa visibilisque Ecclesiæ autoritas, explicandis ac definiendis quæ sæpe fideles inter agitantur fidei quæstionibus, luculenter colligitur. En, Fratres Dilectissimi, quæ mea, ac, ut arbitror, fides vestra sit ac esse debeat; quamque, Deo juvante, ad extremum usque spiritum illibatam servaturum me plane confido. Hæc porro a me dicta sint, Fratres carissimi, ut quam iniqua falsaque sit structa in me calumnia probe intelligatis. Unum interim supersit animi solatium, quod scilicet mihi nec uni, nec primo tam nefaria consilia afficta sunt. Ecquis enim nesciat Protomartyrem Ecclesiæ Stephanum maledictorum ac in legem, & Moysen contumeliarum fuisse aliquando insimulatum, magnifice licet simul, & honorifice de utroque palam disseruisset? Hunc ego Protomartyrem (cujus festivitati sacro die falsus de me percrebuit apostasiæ rumor) cogitavi; hunc mihi imitandum proposui;

ſui ; ejuſque veſtigiis inſiſtens tuendæ Catholicæ Romanæ Eccleſiæ Fidei, novique fœderis auctori operam dabo. Reliquum eſt, ut quod ipſe de ſuis, idipſum ego de meis adverſariis ſentiam ; Deumque, cujus vindictam retribuere eſt, ſuppliciter obteſter, ut eos fidei luce colluſtrare, atque ad Eccleſiæ gremium, a quo cum infelici nativitatis ſorte, tum anticipatis opinionibus infeliciter receſſerunt, revocare dignetur. Cæterum, Fratres cariſſimi, adjuro vos in nomine Chriſti Jeſu, pro cujus amore ſimul & fide tanta ac tam acerba æquo animo toleratis, ut fortes ſtabileſque in ea fide permaneatis, quam hactenus illibatam cuſtodiſtis ; pro qua ſtrenue decertaſtis, & omnia reliquiſtis, ita ut Angelo etiam de cœlo deſcendenti, & contraria docenti, Anathema cum Apoſtolo pronunciare non dubitetis. Gratia Chriſti Jeſu ſit cum omnibus vobis. Amen.

LXII Mabillonii zelus in Religionem, & Miſſionarios Apoſtolicos.

Ex hujus lectione epiſtolæ facile quis intelligat, quo Mabillonius flagraret Religionis zelo, ſive ad eorum confirmandam fidem, qui in ejuſdem violandæ diſcrimine verſabantur, ſive ad illorum promovendam converſionem, qui ab Eccleſia ſegregati ejuſdem communione privabantur. Eo religionis ſtudio inflammatus, mirum eſt quanti faceret Miſſiones Apoſtolicas, quove lætitiæ ſenſu earumdem progreſſus audiret, & incrementa. hinc rerum in iis geſtarum legendis narrationibus

nibus mirum in modum oblectabatur; iisque ita afficiebatur, vix ut a lachrymis interdum temperare posset. hinc etiam quam maximo poterat mentis ardore autorem & consummatorem fidei Jesum assiduis precibus interpellabat, ut ad excolendam vineam suam, & colligendam ampliſſimam animarum messem, operarios mitteret vere Apostolicos. Ex iis nonnullos dudum sibi familiares, & amicos enixe rogabat, ut se quoque in Apostolicorum laborum, tantorumque præmiorum, ac meritorum partem vocare dignarentur. Morti jam proximus nihil sibi optatius significavit, quam ut ad unum ex viris illis Apostolicis scriberet, quocum ipsi fuerat vetus olim consuetudo; cujusque litteras, ceu reliquias venerabatur. Haud minoris apud eum pretii erant, qui causa tuendæ fidei, avitæque Religionis Romanæ, labores quosque sustinerent, vitæ periculis se committerent; qui Patriam, consanguineos, vitæ commoda, facultates, spes non dubias, omnia denique sua Christum secuturi relinquerent: nihilque non moliebatur quo viris hujusmodi vel opem ipse ferret, vel suppetias aliunde procuraret. Eapropter singulari prope veneratione colebat, immortali memoria dignum, nec satis umquam pro fidei merito commendandum Jacobum Secundum Majoris Britan-

Mabillonii in Regem Angliæ Jacobum veneratio, ejusdem in Mabillonium benevolentia.

tanniæ Regem : aſſiduaſque pro eo ac Sereniſſima Regina Sponſa, Dilectiſſimo optimæque ſpei Principe Filio, & ſubjectis omnibus, qui fortes in fide ſteterant, preces ad Deum effundebat. Qua porro benevolentia & exiſtimatione Mabillonium certatim proſequerentur iſti nunquam ſine laude nominandi Principes, palam faciebant, vel cum in Sangermanenſem Eccleſiam pietatis cauſa ipſi ultro veniebant, vel cum ipſe deferendi ſui in Principes obſequii gratia, ad eoſdem in Sangermanenſem civitatem veniebat, raro licet, nec niſi ab iis, quibus non parere religio erat, ſemel & iterum invitatus, ut modeſtiæ indulgeret ſuæ vir laudis impatiens.

S. Germain en Laye.

LXIII Propagandæ religionis cura ac ſollicitudo.

Propagandæ religionis ſtudio incenſus nihil quo ejuſdem fidem decuſque promoveret non moliebatur. eo ſpectabant ſive familiares ſermones, ſive litteræ ad varios directæ, potiſſimum vero quæcumque in lucem dabat opera. In iis namque eximia elucebat cum caritate doctrina, pietaſque cum pari eruditione conjuncta, adeo ut ſimul fœderatæ mutuis vicibus ſcientia pietatem, pietas ſcientiam adjuvaret. Et ſane cuique Mabillonii opera legenti facile patet, eum non mentibus modo illuſtrandis, ſed divini quoque amoris igne accendendis, animum intendiſſe. Idipſum in primis, quos no-

noverat diſcendis litteris magis idoneos, edocebat, ac pro viribus ſuadere iis conabatur: vanas, immo noxias omnino reputans quaſcumque rerum etiam præclariſſimarum notitias, quæ nec ad meliorem adipiſcentium frugem, nec conferunt ad aliorum utilitatem. non enim ad oſtentationem, ſed ædificationem Corporis Chriſti, donatas putabat animi dotes, aut partas labore ſcientias. hæc vero cum omnibus, tum iis potiſſimum inſinuabat, qui adoleſcentium præponuntur Inſtitutioni. Id enim muneris Eccleſiæ perinde ac Reipublicæ intereſſe dictitare ſolebat: eoſque non parvi ducebat, qui erudiendæ juventuti vires, animum, curaſque libenter impendunt. unde non ſine ingenti animi lætitia, relictis interdum ſeriis etiam ſtudiis, iis ultro aderat juvenum exercitationibus, annis ab hinc aliquot in multis Pariſienſis Univerſitatis Gymnaſiis inſtitutis, in quibus non ſine ſpectantium admiratione, audiuntur Juvenes, qui de rebus etiam gravioribus ſenili plane judicio ediſſerunt, elucidantque mirum in modum propoſitas ſibi difficultates. Tum vero mirifice capiebatur Mabillonius, cum eoſdem de hiſtoria ſelectiſque SS. PP. operibus diſceptantes audiebat; ratus nimirum fructus inde uberrimos collecturam aliquando Rempublicam. Quamobrem nullo non ſtudio

Quantum Iuvenum inſtitutioni promovendæ intentus.

con-

contendebat, quo ſimiles in aliis Regni provinciis inſtituerentur exercitationes: adeo Reipublicæ bono (cui promovendo plurimum confert accurata Juvenum inſtitutio) potiſſimum intentus erat.

Sollicitudo Mabillonii de Parochis vicorum.

Poſt Juvenum inſtitutionem proxima ipſi de vicorum Parochis cura ac ſollicitudo. eos amore ſingulari & obſequio proſequebatur, quos exiſtimabat paſtorali officio accuratius intentos, deque animarum ſalute magis ſollicitos. qui urbes, inquiebat, incolunt, labores honoribus, ac aliis oblectamentis temperant, penſantque vitæ commodis: qui vero vicos pagoſque occupant, paſtoralis curæ ſollicitudines ſine levamine ſuſtinent, ponduſque portant diei & æſtus. uni denique experiuntur animi corporiſque moleſtias; cumque nulla vel ſaltem rara ſit eis cum hominibus conſuetudo, uni Deo ac miniſterio ſuo vacare, aſſiduæque orationi (qua nihil ſane ad Sanctitatem adipiſcendam opportunius eſt) incumbere coguntur; indeque ſubjectorum ſibi animos ac reverentiam conciliant. huc adde, quod urbanorum Parochorum labores atterere vermis quidam & domeſtica labes ſolet, inanis ex hominum plauſu gloria, cujus illecebras & periculum neſcit vicorum ac pagorum obſcuritas.

LXIV Non ita in libris ſtudiiſque totus erat Ma-

Mabillonius ; quin & orationi, qua ſtudia litterarum per ſe ſe arida ſatis & jejuna condiebat, ſæpiſſime operam daret. Sic porro neceſſariam ducebat orandi exercitationem, eam ut omnibus, iiſque potiſſimum ſuaderet, quos aſſequendæ religioſæ perfectionis noverat ſincere cupidos; certus, teſte Auguſtino, Deum etſi bona ſua cunctis abunde largiri paratum, ea tamen rite petentibus copioſius impertiri. *Petite, & accipietis*. nec ceſſabat hortari noſtros ac ſtimulare ad orandi ſedulitatem, cœleſtium ſcilicet donorum fontem, & virtutum nutriculam; utque divinæ patefaceret miſericordiæ divitias, hanc adhibere ſolebat cujuſdam Sancti Patris comparationem: Quo, inquiebat, lac abundantius ex ſinu nutricis elicitur, eo mamillæ fluunt uberius: ſecus vero, ubi ſuctus intermittitur, mox exſiccantur, perperamque dein exſuguntur, atque agitantur. Sic nos quoque quo ferventius ſæpiuſque orationi incumbimus, eo in nos copioſius fluunt cœleſtium gratiarum chariſmata: intermiſſa vero, aut neglecta oratione, divinæ miſericordiæ ope deſtituti, paullatim tepeſcimus, penituſque tandem exareſcimus. Hæc fide ſimul & experientia edoctus, cæteros ipſe edocebat. adeo ipſi familiaris erat orandi conſuetudo, ut ea tantum vivere videretur. qua facilitate mentem

Orationē aſſiduam commendat, ſuadetque.

Auguſt. in Pſal. 102.

ad Deum erigeret, omniaque in ipſum velut rerum omnium fontem refunderet, abunde qua verbis, qua ſcriptis, actiſque teſtabatur. Quam attente ac familiariter cum Deo, tam libenter ac ſæpe de Deo loquebatur. Solemne illi erat a cibo ſumpto, quando mutuæ collocutionis facultas datur, pios miſcere ſermones: quos ut ſuaviores redderet ac opportuniores, nonnullis modo Sacrarum Paginarum, modo ſelectis Sanctorum Eccleſiæ Patrum ſententiis appoſite ſciteque condire ſtudebat. ibi dilatabat ſpatia caritatis, aperiebat intimos animi ſenſus, languores ferebat, dabat cuique ſolatia, flammas addebat & animos, blande ſemper atque in omni patientia & doctrina.

LXV Adulationem horret.

In congreſſu ſic urbanum ſe gerebat ac humilem, vix ut ſine adſtantium ſtupore pariter & amore audiri aut videri poſſet. gratiam hanc & favorem conciliabat, non ambitus, non aulæ frequentatio, turpiſque aſſentatio hominum: ab hujuſmodi namque artibus, mundanæ gloriæ cupidis familiaribus tantopere abhorrebat, ut ſi vel amicis vel magnatibus gratulandi interdum munus committeretur, id ea ſagacitate cum pari animi candore conjuncta præſtaret, ut qua mente gratulantis partes ageret, facile quivis judicaret. Suæ hac in re ingenuitatis ſpecimen præbuit egregium, cum viro ſibi dudum

dudum amiciſſimo, atque aliquot ab hinc annis ad ampliſſimam regni dignitatem aſſumpto ſic feſtive gratulatus eſt, *Gaudeo plane, Vir ſpectatiſſime, de ampliſſimo, quem nuper jure adeptus es, honoris gradu, ſed Reipublicæ tantum, cui te maxime profuturum arbitror; tibi autem ſummopere doleo ob magna, nec ſatis verenda commiſſi tibi muneris diſcrimina.* Cui vir ille, mox in amplexum ruens: *Jam*, inquit, *dudum noveram, ſed hodie potiſſimum experior, ſinceriorem Mabillonio amicum me habere neminem.* Ubi demum obedientiæ vel officii ratio exigebat, ſic debita magnatibus præſtabat obſequia, ut nec adulatione veritatem, nec religioſam offenderet ſui oſtentatione modeſtiam, nec rei cujuslibet cupiditate conſcientiam macularet. ea ratione prodibat in publicum, ut animum vitæ ſolitariæ natum ubique oſtenderet. Ejus in ſolitudinem ſtudium paullo ante obitum expertus eſt, qui illum benevolentia ſimul & patrocinio dignabatur, Eminentiſſimus Cardinalis de Noailles, Pariſienſis Archiepiſcopus. cum enim Paſtor ille vigilantiſſimus, perluſtratis vicinis Sandionyſiani Cœnobii locis, rogatu Præpoſitorum noſtrorum, ac pro ſua in nos benignitate in eo eſſet Monaſterio hoſpitaturus; nullis non Superiorum precibus illuc invitatus Mabillonius eſt, ut accedentem laudatum Cardinalem Archi-

Solitudinis amor.

epiſcopum una cum cæteris Sodalibus exciperet. Paruit Præpoſitorum imperio atque Eminentiſs. Cardinalis voluntati Mabillonius; at delatis debitis tanto hoſpiti obſequiis, mox non diutius morari juſſus, ad Sangermanenſe Cœnobium remeavit ſolitis exercitiis vacaturus.

Obſervantiæ monaſticæ tenax.

Pari ſolitudinis amore, ad villas relaxandi interdum animi gratia, a viris licet undequaque conſpicuis invitatus, ire renuebat; aut ſi quando invitantis humanitati atque auctoritati ſerviendum putabat, id ea ſolum lege faciebat, ut ſolita nullatenus intermitteret vitæ monaſticæ exercitia: quod rariſſime quidem, nec niſi apud viros maxime religioſos ſibi indulgebat. quo demum teneretur ſtudio ſolitudinis, teſtatum in primis fecit, cum rogante præclaris in Eccleſiam meritis perinde ac operibus clariſſimo Galliarum Præſule, immo ſuadente Præpoſito Generali, Sangermanenſem civitatem, in qua tum Gallicani Cleri Comitia habebantur, adiit, ſuam de quodam haud exigui momenti opere ſententiam dicturus, ea tamen lege, ut extra monaſterium a loco Comitiorum iter unius horæ diſſitum pernoctare minime cogeretur. quod tribus continuis hebdomadis religioſe admodum obſervavit, exemplum hac in re ſecutus Sanctiſſimi Legislatoris Benedicti, qui, referente Gregorio

S. Germain en laye.

rio Magno, non niſi omnipotentis Dei miraculo, ut extra cellam pernoctaret, adduci umquam potuit.

LXVI Mabillonii prudentia in dandis conſiliis.

Porro ut erat Mabillonius in gratulationibus habendis ingenuæ mentis, ita in dandis conſiliis ſingularis prudentiæ, quo hæc in pretio haberentur teſtari poſſet vir inter Regni primarios potiſſimum inſignis, qui ejus non ſemel conſilio uſus, dictitare ſolebat, expertum ſe in Mabillonio ſagaciſſimorum virorum prudentiam, cum Sanctorum pietate fœderatam; ſeque pluries miratum quæ de rebus omnibus ſine adulatione aut acceptione perſonarum reſponſa dabat luculentiſſima. Siquidem, ut jam dixi, ab omni rerum cupiditate liber, non quod hominibus, ſed acceptum Deo, legibuſque conſentaneum eſſet attendebat. Neque vero is erat Mabillonius, qui hominibus placere quæreret, aut amaret in lucem prodire. cum enim nullius ſe apud homines nominis crederet, ac autoritatis, nemini niſi rogatus aut conſilia, aut reſponſa dare ſolebat: cumque id ab eo precibus obtinebatur, tunc ſibi propoſita luculenter adeo dilucidabat, ut quid tenendum aut rejiciendum, amplectendum vel fugiendum foret, ex ejus reſponſis facile quivis conjiceret.

Ejus conſilia expecta.

Hic quæ pro re nata exhibendæ occurrerent, innumeras propemodum litteras, pe-

petendi consilii causa ad eum directas, brevitatis studio tacitus prætermitto. Quis vero nesciat non in Galliis modo, ubi a Supremo Senatu permissa non semel ejus judicio est magnorum negotiorum cognitio, quæ a veterum instrumentorum cognitione pendebat; sed apud alias quoque nationes, commissa gravissimarum causarum examina, diremptas demum ejus judicii autoritate lites? eam apud omnes adeptus erat integritatis ac sagacitatis opinionem.

LXVII Laudis impatiens seipsum deprimit.

Tantis licet honoribus insignitus Mabillonius, haud inde tamen arrogantior, quin humilior potius longe videbatur. unus doctrinæ suæ comparatique apud omnes nominis plane nescius, virtutes, scripta, eruditionem, præclara denique merita extollentibus, una sui despicientia respondebat: utque majores inde laudes fugeret, laudis se ipse satis cupidum dictitabat. Paranti plura dicere, hæc reponebat: Equidem illas, quas mihi occinitis virtutes, nescio; at peccata mea novi; quis aut qualis sim, Supremus mortalium omnium Arbiter judicabit; ipse spes una, ac tota fiducia mea: rogate itaque ut talem me Deus efficiat, qualem me vos existimatis: eaque ratione sermonem alio sensim vertebat.

LXVIII Variis licet morbis

Mabillonii vires paullatim frangebant, morbosque interdum generabant molestissi-

ſtiſſimos, cum ejus ingenii vis acerrima, tum ſeverioris obſervantia diſciplinæ, ardorque pietatis, tum pia in ſeipſum crudelitas, ſtudiorum denique aſſidua contentio. Enimvero, ut ſupra memoravi, acerbiſſimo capitis dolore laboranti aperta eſt, quæ deinde non ſine diſcrimine obducta, temporum arteria: quo in ſtatu integrum fere menſem ceu immotus permanſit. graviſſimo dein pectoris morbo ad vocis uſque defectionem per annos licet aliquot exagitatus, haud ſolita tamen ſtudia intermiſit, ut abunde docent edita ejus per id temporis opera. affectus, ſtudia non intermittit.

Interim quo laboranti levamen afferretur, nulla a Præpoſitis non excogitata, nulla non experta remedia ſunt. Eam ob rem ſemel & iterum ad aquas Borbonias miſſus, quæ non tam recuperandæ ſaluti, quam exercendæ patientiæ, moribuſque probandis contulerunt. Factus ætate provectior, pleuritide febribuſque interdum moleſtiſſimis non ſine diſcrimine cruciabatur, hiberna potiſſimum tempeſtate ob aſperrima, quibus inter ſtudendum corripiebatur, frigora. huic incommodo conſultum voluere Præpoſiti, conceſſa ei extra dormitorium cella camino ad ignem inſtructa; qua interdiu dumtaxat utens, noctu regularis obſervantiæ ſtudio, ad ſolitam dormitorii cellam ſe ſe recipiebat. Sub vitæ exi-

tum, vehementi adeo cordis agitatione vexabatur, ut animo interdum ac voce pene deficeret. Morbos porro illos tametsi acerbissimos pro viribus celare, non tantum mira animi patientia ferre studebat, cum vero conceptum animo dolorem continere non posset, haud inde tamen animo fractus; quin divinæ potius voluntati se totum committens, mœrentium ipse recreabat sodalium animos.

LXIX Morti obeundæ paratus.

His animi corporisque molestiis a Deo se misericorditer probatum, atque ad mortis memoriam revocatum existimans, futuræ desiderio vitæ, præsentis fastidio tenebatur; aspernabatur terrena omnia. Cur mortem procrastinare desideramus, qui mori aliquando cogimur? *Si aliquando*, inquiebat cum Possidio, *quare non modo*? certus atque a Sanctissimo Legislatore Benedicto edoctus, quod Christianus quilibet præsertim vero Monachus *mortem præ oculis habere debeat*, hæc in familiari congressu verba Christi frequens usurpabat: *Estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet*. Conemur igitur, Fratres, pro viribus, ne mors nos aut imparatos, aut, quod absit, a Deo aversos excipiat. inde mortis, qua nihil ad recte vivendum opportunius est, frequens memoria, familiaris ipsi ut ita dicam consuetudo. Suos ea de re animi sensus in edito *de Morte Christiana* opus-

Possid. in Vit. S. Aug.

Reg. S. Bened. cap. 4.

Luc. 12. 40.

Opusculo de Morte Christiana.

culo

culo, luculentius ipſe aperuit, quam ut hoc loco fuſiori ſermone explicari debeant. in eo namque virorum illuſtrium mortes cum ſuæ, tum aliorum excitandæ pietati accommodatas, in unum accurate collegerat: veritus autem ne multa, quæ circumferebantur opuſculi hujus manu exarata exemplaria, ſe inconſulto, aut furtim luci publicæ traderentur, ſuadentibus viris pietate conſpicuis ann. 1702. typis mandari curavit; editumque Sereniſſimæ Majoris Britanniæ Reginæ nuncupavit, ex cujus nuncupatoria Epiſtola de Regis Jacobi II. qui non ita pridem opinione Sanctitatis obierat, pretioſa morte differendi argumentum arripuit.

LXX. Ejus in perfectione progreſſus.

Ex aſſidua mortis memoria, & pro ſeipſo ne imparatus exciperetur, vigilantia, mirum in modum creſcebat in dies Mabillonii pietas; cui fovendæ non parum conferebant Sacrarum litterarum ac Sanctorum Eccleſiæ Patrum ſtudia: ex quibus nonnulla ſtudioſe ſelecta loca partim memoriter tenebat, partim ad ſuum, & aliorum quoque uſum ſcite collegerat: in primis vero ſub vitæ finem eas excerpſerat, conſcripſeratque Sacrarum Paginarum ſententias, quæ juvandis ad pietatem & patientiam ægris, mortique jam proximis, opportuniora videbantur. Præ cæteris porro moverat illum locus ille Bernardi, in quo tres aſſignan-

Tres Perfectionis gradus.

gnantur perfectionis gradus: quorum prior is eſt, ut quis ſe tamquam advenam & peregrinum exiſtimans a præſenti ſæculo nequam immaculatum ſe cuſtodiat, anhelet ad cœleſtem patriam, ad eamque jugiter animum intendat. Secundus, ut ſit mundo mortuus ac crucifixus, ejuſque *vita ſit cum Chriſto abſcondita in Deo.* adeo ut cum Apoſtolo dicere jure valeat, *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Chriſtus*; perinde ac ſi diceret, *Ad alia quidem mortuus ſum, non ſentio, non attendo, non curo; ſi qua vero ſunt Chriſti, hæc me viventem reperiunt & paratum: nam ſi non aliud poſſum, ſaltem ſentio. Placent quæ ad ejus honorem fieri video, diſplicent, nec parum, quæ ſecus fiunt. Magnus equidem hic eſt perfectionis gradus, at longe major ſublimiorque videtur, quo quis mundo crucifixus cum Apoſtolo non niſi in cruce, vel de cruce Domini gloriatur: cui omnia crux ſunt, quæ mundus conſectari ſolet, delectatio carnis, honores, divitiæ, vanæ hominum laudes: quæ vero mundus crucem reputat, illis affixus eſt, illis adhæret, illa toto complectitur mentis adfectu.* Sublimem hunc perfectionis gradum pia atque continua ſui diſcruciandi conſuetudine aſſecutum ſe fuiſſe, vel in ultimo vitæ morbo abunde ſignificavit Mabillonius.

LXXI Ne ſenſibus, verbis, aut actibus mentem

tem vel leviter macularet ſuam, numquam non animo vigilabat. Si qua vero in re ſe offendiſſe (in multis enim offendimus omnes) arbitrabatur, culpam mox ſuam non ſolitis modo, ſed aſperioribus quoque religionis auſteritatibus diluere ſatagebat. publica, quæ in pervigiliis ſolemniorum anni feſtivitatum ſodalibus noſtris permitti interdum ſolent humilitatis ac pœnitentiæ opera, haud dedignabatur: immo quamvis ob affectam ac omnino venerandam ætatem ab iis foret prorſus immunis, tyronum tamen ſervorem ſuperare, nedum adæquare videbatur: edoctus ſcilicet pœnitentia & humilitate totam præſertim ſtare vitam monaſticam, mira ſagacitate, deprimendi, ſuique diſcruciandi vias omnes rimabatur. Vitæ pœnitentia.

Eo ductus pœnitentiæ ſtudio, quæcumque ſive ob affectam valetudinem, ac exantlatos labores, ſive ob egregia in Congregationem merita ſibi a Præpoſitis offerebantur levamina corporis, pro viribus abnuebat; nec niſi juſſus modicum vini multa aqua temperati matutinis horis ſibi indulgebat. Diebus jejunio ſacris, in refectione ſerotina nonnullos interdum fructus, aliis vero diebus, ovum unum (quo tamen ipſo aliquando abſtinebat) non ſine aliquo ſui pudore adhibebat; veritus Pœnitentiæ ſtudiū.

ritus ne hac exigua licet atque a Præpoſitis conceſſa indulgentia, ſodales illi offenderentur, qui omnem diſciplinæ rigorem æquo animo ſuſtinebant; eaque animi moleſtia, ſuique, ut jam dixi, pudore indulta ſibi ſolatia condire ſtudebat.

LXXII. Diſciplinæ regularis quantum ſtudioſus.

Tuendæ potiſſimum regularis diſciplinæ perquàm ſtudioſus, ea haud æquo animo ferebat, quæ vel minimum eidem relaxandæ conferre poterant, unde quamvis in monaſteriis a cenſoris partibus agendis plurimum abhorreret; ſi qua tamen aut a religioſa ſimplicitate, aut a vita Patrum noſtrorum diſciplina abhorrentia cerneret, mox palam qua verbis, qua exemplis, qua ſuis denique ad Præpoſitos, ut gliſcenti malo manum adhiberent medicam, ſalutaribus monitis, reprehendebat. Tutandis religioſis Congregationibus ſic neceſſariam ducebat exactam regularis diſciplinæ obſervantiam, ut vel leviſſimam ejuſdem jacturam moleſtiſſime ferret. Siquidem noverat vir religioſiſſimus, leviſſimis relaxamentis, penitus nec ſemel olim corruiſſe monaſticum Ordinem: futuramque timens creditæ ſibi a majoribus diſciplinæ jacturam, nullam non ſollicitudinem adhibebat, quo illam tot laboribus inſtitutam, tot promotam exemplis, tot curis conſervatam, poſteris ipſe integram tranſmitteret.

Et

Et quidem, ut optime obſervatum voluit haud incelebris Scriptor, quibus gradibus, ac vitiis paullatim labi ac deficere cœperit diſciplina regularis, quibuſque poſthac remediis inſtaurata ſit, in Secundo Annalium tomo luculenter juxta ac eleganter exponit Mabillonius. *Id*, inquit, *univerſim aſſerere licet, ſolitudinis, & ſilentii ſtudio, parſimoniæ & paupertatis amore, modeſtia in veſtibus & ædificiis, obedientia & obſequendi alacritate, mutua in fratres & in exteros caritate, officiorum divinorum jugi obſervantia, ſimplicitate denique & humilitate Chriſtiana fundatum eſſe Benedictinum inſtitutum: a quibus ubi diſceſſum eſt, vitia omnia in monaſteria immigrarunt, quæ non poſſunt niſi primigeniis illis virtutibus & inſtitutis emendari atque reſecari: ſed quanta cum difficultate id fiat, frequenti experientia diſcimus. Unde terribile judicium eos manet, quorum culpa vel incuria ejuſmodi morum prolapſiones in Monaſterium invectæ fuerint; quæ culpa non tantum ad rectores ſpectat, ſed etiam ad privatos quoſque Monachos, qui violandæ regularis diſciplinæ pravo ſuo exemplo aliis auctores ſe fecerint.*

Bibl. de Autorib. Eccleſ.

Præf. To. 2. Annal.

LXXIII Tractatū edit, quo Monachos ad obſervantiam, non ſolum ad vota adſtrictos oſtendit.

Ut porro tam exitiali diſciplinæ detrimento in poſterum occurri poſſet, tractatum data opera edidit, quo Monachos ad regularis obſervantiam diſciplinæ ex officio teneri demonſtravit; eorumque refellit opinionem, qui vota dumtaxat ſua ſer-

ſervare contenti, cætera communis ac regularis vitæ officia pro arbitrio obire ſe aut negligere poſſe temere ſibi in animum inducunt. Quod quam cum a Divinæ legis, tum Sanctorum Patrum ſententiis, ac a noſtri quoque Legislatoris Benedicti ſpiritu ſit alienum nemo non videt: unde nihil ex iis negligendum putabat, quæ ad tutandam diſciplinam, aut præcavendam morum prolapſionem juvare poterant. Quam voverat, vitæ perfectionis percupidus, modo fugandis vitiis, modo ſodalium, quos ſe autumabat longe religioſiores, æmulandis virtutibus mira ſedulitate animum intendebat: cumque promovendis ad perfectionem animis non parum conferre putaret domeſtica exempla; quæcumque ævo ſuo viderat, aut ab aliis audierat, non ſine quodam ſuavitatis ſenſu in familiari colloquio memorabat; traditaſque a primis Congregationis noſtræ Parentibus vitæ rationes, pia illorum geſta, ſtudia diſciplinæ, egregia demum virtutum ſpecimina libentiſſime auſcultabat. hinc merito dolens, quod Majores noſtri de Monachorum inſtituendis moribus, quam de ſcribendis illorum actis multo ſollicitiores, quamplurima ad pietatem atque poſterorum ædificationem utilia geſta ſilentio obvolviſſent; ut ea in poſterum accuratius collecta ſcriptis conſigna rentur

Bonorum exemplorũ utilitas.

au-

autor fuit ; primuſque duorum , quorum eximias virtutes noverat impenſeque colebat animi dotes, Præpoſitorum Generalium , Bernardi Audeberti , ac Vincentii Marſolii præclare geſta poſteritati commendavit .

LXXIV Regularũ etiam minimarum obſervantia.

Inſtituti licet noſtri regulas omnes ſumma ſervaret cura ; impenſius aliquanto ſtudium conferebat in minimas , quippe neglectui propiores , non ſua quidem natura , ſed hominum vitio , quorum in minutis vulgo rebus caligat acies , diligentia langueſcit . perinde ſingulas cuſtodiebat ac venerabatur ut ſacras reliquias, quarum vel minimæ particulæ auro & argento exornantur . nihil ipſi non magnum & altum , quantumvis exiguum & abjectum , quo Divinæ fieret gratior Majeſtati ; cui placendi ardebat incredibili deſiderio . Ex tanto hoc Mabillonii in regulas etiam minutiſſimas ſtudio facile quivis colligat , quo ipſe mœrore afficiebatur , cum vel leviſſimam ſua ſe incuria remittendæ diſciplinæ præbuiſſe occaſionem in animum ſibi inducebat . tum enimvero nulla non pœnitentia , ac pia in ſeipſum crudelitate hanc formidatæ magis , quam commiſſæ culpæ labem diluere , ac violatam forte diſciplinam ſarcire curabat . Hujus rei vel unum hic exemplum proferre juvat .

Rogatus aliquando a quodam juvene

(qui

Caritas Mabillonii erga proximum.

(qui pietatis ſpeciem præ ſe ferebat) ut ſe in viam ſalutis dirigere, paterne interdum monere, animi demum vellet levare anxietates, votis ultro annuit; eumque ea caritate complexus eſt, quæ proximi neſcit ſuſpicionem. Interim turpiſſime lapſus haud candidæ mentis juvenis, mira audacia Mabillonium convenit; moxque illius pedibus provolutus, crimen cui dudum aſſueverat, ingenue confitetur; ac niſi pro ſua ipſe ſibi caritate laboranti opem ferat, medicamque manum adhibeat, gravius ſe iterum lapſurum aſſerit. ea confeſſione permotus non parum Mabillonius, miſeramque deflens prædicti juvenis vicem adeo non deſerit, ut etiam, quo errantem ovem illam in viam ſalutis reducat revocetque quam citiſſime ad meliorem frugem, nullum non moveat lapidem, nullis eum, non ſuis modo, ſed quos etiam Deo acceptiores novit, amicorum orationibus non adjuvet. Quid plura? carcere deinde detentum ſæpiſſime inviſit; mœrentem qua officiis, qua conſiliis, qua litteris conſolatur; atque ubi ad meliorem frugem redactum putat, nihil quo minuantur aut brevientur conſtitutæ pœnæ apud Præpoſitos non molitur. Quantas ea de re paſſus ſit animi moleſtias haud facile dixerim, hinc ſiquidem ſpe melioris, quam promittebat, frugis adductus,

hinc

hinc timore, ne in deteriora rueret, perterritus, hinc demum juſta Præpoſitorum ſeveritate commotus, ſibi nihil umquam aut gravius, aut moleſtius accidiſſe per litteras ſignificavit. Verum, inquiebat, dum ſalvandi juvenis hujus ſpes affulgebit vel minima, curam illius numquam abjiciam, iteratis licet ejus prolapſionibus deceptus, animumque non ſemel expertus ſim beneficiorum prorſus immemorem. Quoties, reponebat, a Deo rejici ipſi meruimus; nec ab eo tamen rejecti ſumus? eo caritatis ardore flagrans, quem e vitiis emerſurum ſperabat, juvenis lapſum lachrymabundus deflebat, nec, niſi deſperata emendatione, penitus dimiſſum voluit. Interea ad ſe reverſus Mabillonius, verituſque ne nimia in juvenem indulgentia diſciplinæ leges violaſſet, aut ſodalium offendiſſet animos, pœnitentia ductus, culpam hanc non privata modo, ſed publica quoque ſatisfactione dilutam voluit; veniamque poſt graviſſimum in quem exeunte ann. 1698. incidit morbum, ſcripto poſtulavit: adeo verum eſt, *Diligentibus Deum omnia cooperari in bonum*.

LXXV. Mabillonius ſeceſſum meditatur.

Mabillonius, compoſitis, ut diximus, cum Abbate de Trappa ſtudiorum concertationibus, ſtudiis penitus nuncium remittere cogitabat, uni orationi, meditationi mortis, rerum contempla-

tioni cœleſtium, regularibus denique exercitiis operam daturus; cum talia meditanti, duo clariſſimi Gallicanæ Eccleſiæ Præſules, qui ejus eximia atque toti Eccleſiæ utilia talenta probe noverant, eaque in terram fodi ægre ferebant, autores fuere, ut adornandis Sancti Antiſtitis ac Martyris Cypriani operibus animum appelleret ſuum. Paruit Præſulum voluntati Mabillonius; jamque ſe ad hanc elaborandam editionem accingebat, cum eamdem a viro ſibi amiciſſimo paratam, quin etiam impetrato privilegio, prima operis folia prælo conſignata audivit. quare divina id factum providentia exiſtimans, ſuſceptum ſecedendi propoſitum magis ac magis rurſus meditatur, paratque exequi. Movit & quidem graviter meum id conſilii animum: ſiquidem verebar, non tam ne ſtudiis vale omnino diceret, quam ne altiora paullatim repudiaret. Pro meo igitur modulo expoſitis futuris in Ordine noſtro (cui illuſtrando tantopere hactenus inſudaverat) conſilii hujus incommodis, nullas non artes, nulla non argumenta adhibui, queis ad capeſſendum, quod dudum meditabatur, Annalium opus, integramque totius Ordinis hiſtoriam adornandam adducerem; cum ne diu meditatum operis hujus conſilium vanum, eo demortuo, fieret, tum quod ob egregias ejus animi dotes, rerum-

Novam Operum S. Cypriani editionem ſuadentibus Epiſcopis ſuſcipit, ſed ab alio ſuſceptam audiens deſerit.

rumque monaſticarum intelligentiam, ac potiſſimum ſummam ſcribendi facilitatem, huic ſuſcipiendæ provinciæ, parem tunc Congregatio noſtra haberet neminem; tum denique quod id operis deberet ſodalibus, amicis, toti demum Benedictinæ atque Eccleſiaſticæ Reipublicæ. His rationibus, ac clariſſimorum præſertim virorum Renodotii, & Baluzii precibus, ſuaſionibuſque adductus, arduum licet opus in ſe ſuſcepit: tametſi laboris ceſſationem & quietem jam affectæ vires ætaſque provectior ſuadere viderentur.

LXXVI. Annales Benedictinos adornandos ſuſcipit.

Ad hoc tanti momenti, tantæque molis opus manum admovit Mabillonius 14. Julii ann. 1693. & quidem, favente Deo, quod initio ægre cum ob argumenti difficultatem, tum ob provectiorem ætatem adgreſſus erat, deinceps non ſine quadam animi voluptate, & incredibili diligentia proſecutus eſt. Verum ne inchoatum opus vel ſuo, quem imminentem putabat, obitu imperfectum relinqueret, vel præmaturum emitteret in lucem publicam, non ante novem ab incepto labore annos de eo evulgando cogitare viſum eſt; cum ſcilicet ultra dimidiam ejus partem confeciſſet, ne præpropera, nec ſatis limata prodiret editio.

Nonnulla Mabillonii opuſcula.

Interea nunc Præpoſitorum, nunc amicorum rogatu nonnulla, minoris ta-

men momenti, vulgavit Opuſcula, inter quæ memoranda in primis occurrit epiſtola encyclica de obitu Mariæ de Blemur Sanctimonialis Benedictinæ e Congregatione adorationi perpetuæ SS. Sacramenti addicta; egregiis quibus Ordinem ſimul & Eccleſiam illuſtravit operibus inſignis. ipſa enim eſt, quæ præter alios multos libros quibus pietatem perinde ac doctrinam ſuam poſteris commendavit, annum Benedictinum adornavit patrio ſermone conſcriptum, duodecimque in 4.° tomis diſtinctum; ſubindeque aliorum Sanctorum in Eccleſia notiorum acta concinnavit. huc quoque accedit nova, quam anno inſequenti edidit, regulæ Benedictinæ verſio, una cum Stephani Poncherii Pariſienſis Antiſtitis Conſtitutionibus ad ſuæ ditionis Sanctimonialium uſum accommodatis: altera denique epiſtola Bleſenſi Epiſcopo inſcripta, qua videlicet celebris cujuſdam cenſoris diſſertationem in lachrymam, ut vocant, Vindocinenſem ann. MDCLXXXXIX. evulgatam, valide refellit; fidemque Sodalium Vindocinenſium, quos fraudis temere cenſor prædictus inſimulaverat, ſtrenue vindicat.

In omnibus idem elucet Mabillonii animus.

Tametſi autem ambæ illæ epiſtolæ pro argumenti diverſitate diverſum quoque autorem ſapere videantur; in utraque tamen, ut egregie notatum voluit clariſſi-

riſſimus Mabillonii encomiaſtes Dominus le Gros de Boze perpetuus Regiæ Inſcriptionum Academiæ Secretarius, eadem elucet indoles, idem Mabillonii animus, ſincera videlicet & accurata pietas, omnis inimica temeritatis. unde immerito de hac utraque epiſtola longe aliter, quam par eſſet, judicaſſe nonnullos vanis conjecturis deceptos, prudenter colligit modo laudatus Encomiaſtes.

Bernardi libros de conſideratione ſeparatim edit.

His recenſendus venit aureus plane Bernardi liber *De Conſideratione*, Summi atque ad totius Eccleſiæ decus & utilitatem regnantis hodie Pontificis Clem. XI. juſſu elegantioribus typis ſeparatim editus: quem mox eodem anno excepere duo poſtrema Actorum Benedictinorum undecimi ſæculi volumina, duplici ac plane erudita, quæ cuique tomo præfixa eſt, præfatione locupletata: in quarum altera poſt expoſita ſæculi undecimi decora, aſſumptos e noſtris ad ſupremum Petri Solium enumerat, Silveſtrum II. Leonem IX. Victorem II. Stephanum IX. Gregorium VII. Victorem III. & Urbanum II. quorum ſex poſtremi a medio ſæculo undecimo ad finem uſque, parum interrupta ſerie, ſupremam illam Sedem occuparunt; quibuſque ſæculo inſequenti Paſchaſius, & Gelaſius, ambo hujus nominis Secundi, ſucceſſerunt, omnes fere ex una Congregatione Cluniacenſi,

Duo poſtremi Actorum Ordinis tomi.

censi, quæ ut sæculi decimi præcipuum ornamentum fuit, ita etiam sæculo undecimo florere perseveravit sub Sanctorum Odilonis, & Hugonis præfectura. Quantum porro ornamenti attulerit unus Leo Papa Nonus, abunde testatur restituta per eum Ecclesiastica disciplina. *Ipse enim est*, inquit Ordericus, *qui Sanctorum scita Canonum restituere conatus est, quæ jam transactis temporibus nimis decciderant, & pene a notitia hominum defluxerant: ipse est qui Remis coacto Concilio de Castitate, justitiaque ministrorum Dei tractavit; & salubria decreta, quæ jam Antistites & Presbyteri nesciebant, renovavit.* Quæ iste imperfecta reliquerat, perfecit Greg. VII. majores corpore animos gerens, quos strenue adhibuit ad restituendum in Ecclesiæ ministris cœlibatum, simoniam extirpandam, abolendasque Investituras Ecclesiæ dignitatum; quas passim tum non sine pretio conferebant permulti Principes, unis fere ab ea labe plurimum immunibus Francicis Regibus, maxime tertiæ Stirpis; quorum primus & caput Hugo cognomento Capitius, seu Capito, vulgo Capetus, experimento edoctus, quantum detrimenti attulissent monasticæ Religioni sæculares illorum temporum Abbates, monasteriis omnibus liberam eligendorum regularium Abbatum facultatem restituit. Hujus exemplo plerique

Ordericus lib. 1. pag. 372.

rique Galliarum Principes idem præſtitere; in primis Nortmanni Duces, qui damna ſuperiorum ſui generis Principum violentia monaſteriis illata abunde compenſarunt, inſtauratis ubique vetuſtis, aliiſque de novo extructis Cœnobiis, quæ liberaliter dotaverunt.

Ordinis propagatio.

Sub prædictis Pontificibus, ac Principibus mirum eſt, inquit Mabillonius, quantum ubique Ordo noſter floruerit, quantum ramos ſuos etiam extra Europam protulerit, denique quot & quantos viros illuſtres iſto ſæculo Eccleſiæ ſuppeditaverit. primas tenuere Romualdus Camaldulenſium inſtitutor, Abbo Floriacenſis, Odilo & Hugo Cluniacenſes, VVillelmus Divionenſis, Richardus Sancti Vitoni, Poppo Stabulenſis, Joannes Vallumbroſanus, Gerardus Sylvæ majoris, Rotbertus Caſæ Dei, Rotbertus item Moliſmenſis, aliique Sanctiſſimi Abbates: quorum plerique non tam rectores peculiarium Monaſteriorum, quam novarum Congregationum inſtitutores extitere: quibus addere licet S. Brunonem Sacri Ordinis Carthuſienſis, & Beatum Stephanum Grandimontenſis autores, qui Sanctiſſimum Patrem Benedictum ducem ac patronum ſuum principio agnoverunt.

Ope Benedictinorũ reflorent

Eiſdem ſubinde autoribus non tantum refloruiſſe monaſticam religionem, ſed

una cum monaſtica religione ſcientiarū ſtudia.

doctrinæ quoque ac ſcientiarum ſtudia in Monaſteriis, ac tota fere Eccleſia Latina denuo excitata docet; idque factum præſertim oſtendit Mabillonius induſtria & ope Gerberti Auriliacenſis Monachi, Abbonis Abbatis Floriacenſis, Fulberti Carnutenſis, & Notgeri ſeu Notkeri Leodienſis Epiſcoporum. In hac inſuper præfatione, Ordinis noſtri memorata in Orientem aliaſque regiones propagatione, una cum reformatione Anglicanorum Monaſteriorum, controverſia, quæ ſub finem ſæculi X. exorta eſt, occaſione profeſſionis, quam Epiſcopi ab ordinandis Abbatibus exigebant, hiſtoriam mirum in modum illuſtrat, exhibetque quanta animorum contentione Epiſcopi Aurelianenſes a Floriacenſibus Abbatibus hanc ſubjectionis profeſſionem olim exigere niterentur, quamque ſtrenue reſtiterint Abbates præſertim Abbo, & Succeſſor ejus Gauzelinus. his accedit haud contemnenda brevis diſſertatio de Pontificalibus ornamentis (quæ ne Epiſcopis quidem omnibus, nedum Abbatibus ab initio communia fuere omnia) deque uſu Mitræ non ante ſæculum undecimum Abbatibus conceſſo; quam nonnullæ ſcitu dignæ obſervationes cum eccleſiaſticæ, tum monaſticæ excipiunt, de habitu ſcilicet monaſtico in extremis a viris etiam principibus aſſumi ſolito, de puerorum

Contentio celebris Epiſcopos Aurelianenſes inter & Abbates Floriacenſes.

obla-

oblatione in monaſteriis olim irrevocabili, de tribus novis Abbatum inſtitutis, de corporalium uſu in incendiis, de reliquiarum probatione per ignem, variiſque aliis, quæ ab antiquis ad res dubias dirimendas uſitatæ fuerunt, probationum generibus, ex quibus duæ in primis undecimo ſæculo frequentes erant, ſcilicet per ignitum ferrum pro Eccleſiaſticis, & duellum pro ſæcularibus viris. Probatione per ignitum ferrum Sancta Cunegundis Imperatrix uſa eſt ad probandam pudicitiam ſuam, & Petrus Monachus ad ſimoniam reprimendam, ob idque Igniti cognomen ſortitus. Duellum more veterum Francorum, & Germanorum ſcuto & fuſte fiebat, paſſim non ſine cruoris effuſione: quæ cauſa fuit, ut Eccleſiaſticis maxime interdictum eſſet; tametſi non raro, teſte Sirmundo, qui inſignia refert ejus rei exempla, ab ipſis etiam adhibitum fuerit. ad ejuſmodi duella tamquam ad ludicrum ſpectaculum concurſus fiebat; eiſque aderant etiam Epiſcopi, quod de ſeipſo teſtatur Homelinus Redonenſis Epiſcopus in litteris a ſupra laudato Sirmundo allatis ſuper controverſia quadam, duelloque in prato Epiſcopi commiſſo juxta flumen Iſolam: *præſentibus nobis*, inquit, *& Comite Conano, aliiſque*.

Varia probationum genera per ignem, & duellum.

Sirm. in Goffr. pag. 62.

In altera vero undecimi ſæculi præfatione,

tione, in primis agit de Schiſmate Græcorum per Michaelem Cerularium in Romanam Eccleſiam excitato, deque objectis Græcorum in Latinos; dein de Berengario, ejuſque hæreſi; nec non de multiplici ejus condemnatione, reſipiſcentia ſimul & pœnitentia, variiſque qui contra illum calamum ſtrinxerunt autoribus. Sub hæc de geſtis Gregorii Septimi, qui Eccleſiaſticæ diſciplinæ, juriſque Pontificii acerrimus defenſor contra inveſtituras, & ſimoniam, proque Clericorum cœlibatu ſtrenue laboravit. Poſtremo variis recenſitis Ordinibus, ſeu Congregationibus in Eccleſia Latina ſæculo undecimo inſtitutis, ſcilicet Camaldulenſi, Vallumbroſana, Grandimontenſi, & Cartuſienſi, nonnulla de more obſervanda proponit, quæ in priori præfationis parte deſiderantur, de mutatione ſcilicet nominum in Summis Pontificibus, de Chorepiſcoporum abrogatione, de Miſſis quotidianis ac ferialibus, de Viatico ſub utraque ſpecie, de Communione ſub unica, de habitu Monaſtico in extremis aſſumpto, de origine & inſtituto fratrum converſorum, & eorum qui donati & oblati vocantur, de monaſteriorum ſervis, de utriuſque demum ſexus recluſis, quæ omnia nuſquam luculenter adeo enucleata reperias.

Anno proxime ſequenti, ſuadentibus mul-

multis pietate ac ſapientia conſpicuis viris, Opuſculum *de Morte Chriſtiana* ſuperius memoratum, ac Reginæ Majoris Britanniæ nuncupatum in lucem emiſit. Opuſculū de Morte Chriſtiana in lucem edit.

Huc etiam memoranda ſpectat Epiſtola Chriſtianiſſimo Regi Ludovico XIV. inſcripta, novæ S. Auguſtini operum editioni præfixa, atque ob argumenti dignitatem, nitorem ſtyli, ſententiarum gravitatem, majeſtatem rerum, ac varia quæ in illa paſſim ſplendent eloquentiæ lumina, patrio etiam idiomate excuſa. Epiſt. nuncupatoria novæ S. Auguſt. editioni præfixa.

Inter varios quoque Mabillonii tractatus, locum haud infimum obtinet is, quem ann. MDCLXXXXVI. evulgavit, ad illorum refellendam opinionem, qui *Miſſæ* & *Communionis* voces in Capitibus XXXV. & XXXVIII. Regulæ Benedictinæ adhibitas, a vulgata Sacrificii & Euchariſtiæ acceptione detorquebant; atque a conſtanti totius non ſolum Ordinis traditione, ſed communi quoque Interpretum Regulæ ſententiis diſcedebant, dum per vocem *Miſſa* divinorum officiorum concluſionem; per *Communionem* vero *Sanctam* pauculum panis & vini, quod a Lectore menſæ ſumitur ante lectionem, in ſignum Eccleſiaſticæ unionis cum fratribus ſuis, quibuſcum edere non poteſt, ſignificari contendebant. Novam hanc explicationem tum ab antiquiſſimorum monachorum praxi, tum Tractatus de vocibus *Miſſa*, & *Communionis*.

a com-

a communi totius Ordinis diſciplina, tum ab Interpretum pene omnium opinione longe alienam confutat Mabillonius; eumque ſubinde docet in monaſteriis obtinuiſſe morem, ut ſingulis dominicis ac feſtis diebus Monachi Miſſæ *Sacrificio* intereſſent, & ad Sacram *Synaxim* accederent. Fratres vero coquinæ, & refectorio deſervientes, Lectoremque menſæ, quibus pauculum panis & vini, quod *Mixtum* Regula vocat, ante refectionem indulgebatur, *Mixti* hujus ſumptionem iis diebus poſt *Miſſas* & *Communionem*, ideſt poſt Miſſæ Sacrificium, & Communionem Euchariſticam, quæ a jejunis percipienda erat, diſtuliſſe, tum vero Lectorem *Mixtum* ſumpſiſſe propter *Communionem Sanctam*, ne ipſa lectione & contentione vocis, periculo ſacras particulas exſpuendi objiceretur. Id argumenti pro ſua eruditione, ac eo quo tuendarum antiquarum traditionum ſtudio tenebatur, non ſine multorum gratulatione tractavit Mabillonius: in primis vero clariſſimi Abbatis Trappenſis, qui, eo perlecto, non in eamdem modo, uti per litteras Mabillonio ſignificavit, abire ſententiam, ſed novorum quoque argumentorum acceſſione, quæ ſecundæ ſui in Regulam Commentarii editioni ſubjunxit, eam tueri voluit. Non ſic D. Claudius de Vert antiquæ obſervantiæ Cluniacenſis Mo-

Tractatū hunc confutat D.

Monachus; non ſic: ſiquidem opus illud non diſſertatione modo confutare, ſed in operis autorem verbis inofficioſis, ac ſodali parum dignis invehi non erubuit. Claudius de Vert Monachus Cluniacenſis.

Non minoris certe pretii videtur Mabillonii epiſtola ad amicum, de primario inſtituto Romarici-montis, vulgo *Remiremont*. quæ Eccleſia, inſigne quondam Cœnobium Monialium Benedictinarum, nunc, collapſa regulari diſciplina, mutata eſt in Collegium Canonicarum ſæcularium. cum enim illius loci Abbatiſſa, Canonicarum ſuarum mores in melius reformare cuperet; hæ novæ ac ſeverioris diſciplinæ impatientes, nihil quo tale conſilium frangerent ſive autoritate, ſive ſcriptis non egere; quove res ex voto felicius cederet, Eccleſiam ſuam numquam monaſtico Ordini, & Regulæ S. Benedicti addictam fuiſſe contendebant. Contrarium ut aperte demonſtraret Mabillonius; epiſtolam edidit ann. MDC LXXXVII. in qua ut erudite, ſic, ut ſolebat, moderate probat Abbatiam Romarici-montenſem in Sanctimonialium dumtaxat gratiam conditam, Regulæ Benedictinæ ab ipſis primordiis ſubjectam fuiſſe; nec illius loci monachas ab ea deficiſſe, donec anno circiter MD. rejecto cum monaſticis veſtibus nomine, in ſæculares Canonicas, nullis conſtrictas votis, converſæ ſunt. Epiſtola de primario inſtituto Romarici-mõtis.

Porro

Operum Mabillonii lux, & dignitas.

Porro ex hactenus recenſitis operibus nonnulla licet anonyma in lucem prodierint, autorem tamen Mabillonium ſatis ſuperque indigitant. Siquidem, ut pulchre annotavit ſæpe memoratus encomiaſtes D. de Boze, ea erat Mabillonii fama, ea lux, operumque illius dignitas, ut quamvis iſta nomen ejus haud præ ſe ferrent, ab eo tamen profecta vel ex ea quæ paſſim appareret animi pietate, ac ſincero qui in eis ubique luceret veritatis amore, eruditi quique facile conjicerent. Idipſum quoque paucis hiſce, ac Mabillonio noſtro perhonorificis verbis teſtatum voluit, magni apud litteratos nominis autor. *Vix*, inquit, *ſatis pro meritis laudari poteſt Mabillonius: reconditam atque exquiſitam ejus litteraturam eruditis omnibus produnt edita opera. In iis ſtylum mirere dilucidum, purum, nervoſum, a fuco & ornamentis alienum, nobilem tamen, atque argumentis prorſus accommodatum; ejus denique oratio numquam effluit, nec latius divagatur.*

Mabillonii ſtylus.

LXXVII Mabillonii in diſcernendis rebus & operibus ſagacitas.

Qua polleret in diſcernendis iis, quæ in lucem publicam emiſit, veterum Patrum monumentis, ſagacitate juxta ac limato judicio, abunde teſtantur Analecta veterum Patrum, ac ea omnia quæ ex Italiæ Germaniæque Bibliothecis eruit ſelecta documenta, quæque ad calcem cujuſque Annalium voluminis refert, Regum ac Pontificum diplomata, publica in-

inſtrumenta, ac maxime chartæ illæ propemodum ſingulares, ex quibus vel illuſtrandæ hiſtoriæ, vel adornandis ſuis editionibus opportuniores præ multis aliis etiam ſinceris ſcite adeo ſelegit, inſeruitque in ſexto Rei diplomaticæ libro.

Mabillonii ſolertia.

Par ipſi dexteritas ac ſolertia dignoſcendis iis, quæ ad cujuſque perfectionem, atque operis utilitatem, aut reſecanda aut addenda videbantur. Hujus rei vel unum exemplum offeram, ex quo quam utilia forent, quæ rogatus interdum dabat amicis conſilia, quamque ut rerum ſic operum eſſet peritus æſtimator cuique patebit. Opus elucubraverat vir dudum ſibi familiaris de vitæ ſolitariæ commodis, præclarioribus, quas non ſine labore collegerat, Sanctorum Patrum ſententiis diſtinctum, editumque dein Mabillonio expendendum tradiderat. Legit opus eruditus cenſor; ac ne a cœptis autorem deterreret, probavit operis conſilium, conatum laudavit; ſuamque ipſi ſubinde mentem ingenue aperiens, oſtendit, vana prorſus ac ſupervacanea in praxi fore quæcumque in laudem dixerat ſolitudinis, niſi ejuſdem ineundæ rationes præſcriberet ad cujuſque ingenii vires accommodatas. neque enim exiſtimabat vir prudentiſſimus omnibus indiſcriminatim hominibus proponendam vitam ſolitariam: quippe non omnes ad

Non omnes ad ſui tantum contemplationem internamque ſolitudinem deſtinatos oſtendit.

eam

eam vocatos aut a Deo deſtinatos probe noverat. His igitur, quæ ſequuntur, verbis autori reſponſum voluit: *Percurri*, inquit, *nec parum legendo probavi tuum de vita ſolitaria Opuſculum; at certe exoptaſſem, ut quâ quiſque methodo ſecum ſolitarius agere intuſque ſecum verſari debeat, luculenter expoſuiſſes: quæ res etiam cupientibus & perfectis non parum operoſa videtur. ut enimvero in ſui tantum ipſius contemplatione quis delectetur, probè ſeipſum cognoſcat, mentem habeat optime moratam; internæ demum ſolitudinis ſuavitate ac delectatione capiatur, neceſſe omnino eſt; non enim placent jejuna colloquia: Deum præterea, quocum verſari queat, intra ſeipſum poſſideat oportet: quod certe nec omnibus, nec diu a Deo conceſſum facile crediderim: atque haud ſcio, utrum Deus juſtos omnes ad hanc internam duntaxat ſui contemplationem addictos velit; an forte longe acceptiores Deo ſint, qui mente pura, animoque religioſe collecto, publicis miniſteriis occupantur. Ut ut ſe res habeat, juvat identidem illa etiam externa ſolitudo ad colligendos potiſſimum animos, rerumque externarum religioſius obeunda munia. Tum enim ab omni rerum temporalium curis expeditus animus, omnique aut negotiorum, aut ſtudiorum mole depoſita, impenſius ſibi ac liberius vacat. Cæterum meipſum vere putarem ſolitarium, ſi inter laborandum aut ſtudendum, Deum in primis unice attenderem,*

Quantum conferat externa ſolitudo.

ſur-

ſurſum aliquando animum erigerem, mentem frequenti oratione paſcerem, nec quicquam de mundi cupiditatibus cogitarem: ad eam igitur ſolitudinem interdum recurrat oportet quiſquis eſt reficiendarum animi virium, ac fovendæ cupidus pietatis: ipſa namque, teſte Guillelmo a Sancto Theodorico in ſua ad Fratres de Monte Dei epiſtola, monachorum valetudinarium eſt. Plura alia compendii cauſa prætereo: ſiquidem ex jam dictis ſatis ſuperque patet, quam opportunæ ac prudentes forent animadverſiones, Mabillonique conſilia.

LXXVIII. In Regiæ Inſcriptionum Academiam cooptatur Mabillonius.

Ann. MDCCI. Regiæ Inſcriptionum Academiæ titulo honoris, innuente, quæ ſumma laus eſt, Rege Chriſtianiſſimo, adſcribitur; litteraſque ea de re ad illum ſcribere dignatur clariſſimus Comes de Pontchartrain. delatum honorem refugit vir modeſtiſſimus; nec niſi ſuadente undequaque conſpicuo Abbate Bignonio, ac jubentibus Majoribus noſtris invitus accepit; atque huic pro viribus reſpondere conatus meritorum haud immemor Mabillonius reconditam inſcriptionum ac numiſmatum ſcientiam ornavit promovitque. Vix fuerat prædictæ Academiæ cooptatus, cum honoris cauſa, gratulandi ſcientiarum Academiæ de mutua, quæ inter utramque viget, atque in poſterum vigere debet, animorum conſenſione, præ aliis deputatur: quo in

munere obeundo totam quam concitaverat ſui expectationem egregie ſuſtinuit; nec minori haud ita poſt Academicorum laude ac plauſu excepta, atque in publico conſeſſu perlecta eſt, quam in Regum noſtrorum ſepulcra adornaverat erudita diſquiſitio.

Academiæ in Mabillon. amor, & exiſtimatio.

Quo demum loco Mabillonium haberet laudata modo Academia, quove illum amore dignaretur, teſtatum in primis fecit, cum gravi morbo correptum, per duos, eoſque conſpicuos Academicos, qui communem dolorem ſignificarent, inviſum ſuo nomine voluit; vel cum eidem demortuo, præſentibus cunctis Academicis parentavit: quin etiam in publicum ſuæ de illius virtute opinionis monumentum, in primo poſt obitum cœtu per eruditiſſimum virum Dominum Bozium perpetuum Academiæ Secretarium ſingulari plane elogio commendari eum juſſit. quam digne atq; ex omnium voto de Mabillonio dixerit præſtantiſſimus Orator, facile quivis intellexit tum ex omnium Academicorum, aliorumque applauſu, tum maxime ex præclaris celeberrimi Academiæ Præſidis Abbatis Bignonii laudibus. *Grande*, inquit, *paraſti tibi elogium, dum tanti viri egregia merita tam eximie feliciterque prædicaſti.* Percrebuit mox præclari rumor elogii; eamque in omnium movit eruditorum animis ejus legendi cupidita-

ditatem, ut ſtudioſis, nec ſemel iteratis precibus adducta tandem Academia idipſum in diario Pariſienſi jam jam licet inſerendum, publici juris fieri curaverit. atque inde nata quæ tum vulgata eſt prædicti elogii editio, ſumma omnium gratulatione excepta.

LXXIX. Sepulchra S. Benedicti, & Bernardi perluſtrat.

Paratos prælo duos Annalium Ordinis tomos, præter multa, quæ ad alios continuandos collegerat, non prius in publicam lucem emiſſos voluit, quam nonnulla, quibus opus habebat, Archivuorum monumenta conſuluiſſet. hinc opportune natam SS. Benedicti Floriacenſis, & Bernardi Clarevallenſis tumulos adeundi occaſionem, eo libentius amplectitur, quo piæ dudum illius peregrinationis majore deſiderio tenebatur; ut illorum patrocinio auſpicioque Patrum ſeu potius Monaſtici Ordinis Luminarium ſuſceptam Præpoſitorum rogatu ad Sodalium ædificationem, totiuſque cum Benedictinæ, tum etiam Eccleſiaſticæ Reipublicæ decus & commodum, vaſtiſſimam Annalium provinciam digne proſequi; atque ad finem uſque perducere poſſet.

Floriacenſe Cœnobium petit.

Eapropter exeunte menſe Sept. ann. MDCCI. me ſibi adjuncto comite ad Cœnobium Floriacenſe contendit; ibique diſcuſſis nonnullis, quæ in ejus Cœnobii celeberrima olim Bibliotheca ſupererant, antiquis monumentis, obvia quo-

que monaſteria juxta ac archivua perluſtravit; atque inde die ab inſtituto itinere octavo ad Clarevallenſem Abbatiam pervenit. novam porro regionem aut diœceſim ineunti ſtatim locorum aut Eccleſiarum tutelares ac patronos precibus invocare moris erat. ad præcipui vero, quo tendebat, loci conſpectum, majoris religionis cauſa ex equo deſiliens, præſcripta ſibi a puero pietatis officia flexis genibus de more perſolvebat. Eum vero diem, quo Cœnobium verſus Clarevallenſe iter inſtituit, totum ſane cantandis aut recitandis hymnis, & canticis conſumpſit, lætus nimirum iis ſemel & iterum adeundis locis, quæ Bernardus ſuis ac diſcipulorum virtutibus & miraculis illuſtraverat. Cæterum quantum ad egreſſum Sylvæ Clarevallenſis, ejuſque Sacri Cœnobii conſpectum expertus fuerit pietatis ſenſum, vix exprimi poteſt. Siquidem equo de more deſiliens orationem inſtituit; ſubindeque ea haud intermiſſa, cœptum iter ad januam uſque Monaſterii pedibus, nudo capite, via licet ardua ac ſole plurimum æſtuante, confecit.

Pietas Mabillonii erga locorum, & Eccleſiarū patronos.

Qui tum aberat Clarevallenſis Abbas, audito vicino Mabillonii adventu, accedentem, ea qua par erat, humanitate ac obſervantia excipi, atque ad nutum ejus uſumque cuncta reſerari jubet. pa-

Clarevallenſe Monaſterium adit.

rue-

ruere Monachi Abbatis voluntati; eo ſane ſtudioſius, quo noverant colebantque magis tanti hoſpitis nomen, doctrinam, egregia in Ordinem merita, virtutes, eximias demum animi dotes. igitur incredibili omnium ſtudio, parique lætitia & honore exceptus ibi per dies aliquot, non ad rimandos modo Archivui ac Bibliothecæ forulos, ſed ſuos quoque probandos mores, obeundaque pietatis officia animum contulit. Iis vero, quæ ibidem præ cæteris Galliarum Cœnobiis ſuperſunt, ſanctitatis veſtigiis mirificè captus, quæcumque Bernardi virtutibus ac miraculis conſpicua loca venerabundus perluſtrabat, ſcitu digna diligentiſſime obſervabat: ſuper Bernardi tumulum Sacrum quotidie celebrabat; eodem, quo ille in itinere uſus olim fuerat, calice, non ſine quodam ſuavitatis ſenſu utebatur: & tum quidem eo in loco, quas enixe rogaverat, animi corporiſque vires continuandis ad obitum uſque Bernardi Annalibus neceſſarias obtinuiſſe, teſtantur ad id uſque tempus perducti prædicti Annales; quorum jam quattuor prodiere volumina. quintum, quod prælo maturum moriens reliquerat Mabillonius, publicam in lucem, præmiſſa ejus, ac ſocii Ruinarti vitæ Synopſi, nuperrime protulit D. Renatus Maſſuet continuandis annalibus,

concordi majorum ſuffragio præpoſitus, jamq; nova ac eruditis omnibus plurimum probata Sancti Martyris atque Lugdunenſis Epiſcopi Irenæi editione celebris.

LXXX Primum Annaliũ tomum in lucem profert.

Ex hoc litterario curſu, ſeu pia potius peregrinatione reduci Mabillonio per annum fere integrum nulli fere ſtudio ob graviſſimum morbum, operam dare licuit: verum refectis tantiſper viribus, præloque maturis Annalibus, mox per epiſtolam encyclicam ſingulos monuit Cœnobiorum Præpoſitos, ut ſelecta ad eum documenta diligentiſſime tranſmitterent: duobuſque poſt evulgatam epiſtolam menſibus, primum Annalium Ordinis volumen prælo ſubjectum, ſequenti ann. MDCCIII. in lucem emiſit.

Remos proficiſcitur.

Haud ita poſt Remos negotiorum cauſa vocatus, me ſibi ſocio adjuncto, ſe contulit, nec ſine quadam animi voluptate dilectam ſibi, ob informatos ibi mores, Remenſem Eccleſiam, nec non S. Remigii cujus in templo vota nuncupaverat ſua, tumulum rurſus inviſit. Hujuſmodi porro peregrinationes a Præpoſitis licet imperatas, atque ut plurimum ſtudiis ſuis peropportunas, non invitus modo ſuſcipiebat, ſed ſibi quoque graviter exprobrare ſolebat frequentes e monaſterio egreſſiones, quod vitæ nimirum ſolitariæ leges inde violari, animoſque ſodalium offendi arbitraretur.

Hinc

Hinc nullum umquam iter aut explendæ curioſitatis, aut, quod mirari ſubit, reparandæ ſalutis cauſa ſuſceptum voluit, aut aliquò divertere, vel ullo in loco morari; niſi ad Sacra loca viſenda moveret interdum pietas; aut ad colligenda, quæ e re ſua erant, documenta opportunitas vel utilitas invitaret. Suæ hac in re obſervantiæ ſpecimen dedit ſcitu plane dignum, cum Monachii in Bavaria (quo ad excutiendos inſignis ejus Bibliothecæ manu exaratos codices diverterat) perluſtrato, non tam ut ſibi, quam ut amicorum indulgeret humanitati, ſplendidiſſimo Sereniſſimi Bavariæ Ducis Palatio, requirentibus utrum Verſallico præſtaret, illud ſe nunquam vidiſſe non ſine adſtantium ſtupore ingenue profeſſus eſt. Et re quidem vera annis licet pene viginti Pariſiis commoratus, Verſallium nulli Regum palatio ſecundum, quoque pene omnes confluunt, quæ ſub cœlo ſunt nationes, vix cogitaverat: adeo erat a rerum mundanarum ſpectaculis alienus. neque enim niſi profeſſioni congrua, aut ſtudiis opportuna ſibi indulgebat vir ſolitariæ vitæ amantiſſimus. Ita certe res humanas, quaſcumque miratur vulgus, deſpiciebat, ut nihil præter æternas ac divinas amare videretur. Hac voluptatum etiam honeſtiſſimarum fuga majores delicias comparabat ex rerum

Quàtopere à curioſitate alienus.

cœleſtium meditatione hauriendas. Sic enim fit: cœleſte illud balſamum in animos infundi nequit, niſi prius ex illis terrenarum delectationum inſulſus liquor omnino exhauriatur. itaque Mabillonius arctiſſima cum Deo familiaritate conjunctus, illum præ oculis habebat ſemper; in ejus amplexu dulciſſimo acquieſcebat, a ſeipſo quem unice oderat, in eum quem diligebat unice quaſi transfuſus. hinc ille animus in divinarum rerum contemplatione defixus, abductus a ſenſibus, & ſui plane ſuorumque oblitus.

LXXXI Impugnatur Opus de re diplomatica.

Peractis, quorum gratia Remos adierat, negotiis, Pariſios ineunte Octob. remeat; ibique novum experitur rei diplomaticæ cenſorem, an porro cum iſto diſputationem inire deberet, nec ne, non una fuit amicorum ſententia. nonnulli enim Mabillonium vel ex ſola operis lectione ſatis ſuperque vindicatum arbitrantes, a vindiciis abſtinendum putabant; ſecus vero alii, in gratiam videlicet illorum, qui vel rei diplomaticæ libros præ manibus non habebant, vel qui Mabillonium, de quibus a cenſore accuſabatur, errorum reum eſſe temere ſibi in animum inducebant. amicis in varias hinc atque hinc ſententias abeuntibus, mediam, nullique non probatam viam tenuit vir prudentiſſimus; quodque jamdudum in gratiam illorum,

qui

qui primam rei diplomaticæ editionem ſibi comparaverant, adornaverat ejuſdem operis ſupplementum eodem, quo liber de re diplomatica charactere & forma exaratum, novis auctum præſidiis, atque argumentis adſertum, quam potuit citiſſime, publicam in lucem protulit ann. MDCCIV. ratus ea ratione non præſentibus modo, ſed futuris quoque adverſariorum objectionibus abunde ſatisfactum iri. Ideo vero cenſoris nomen reticuit, ut rixas ac concertationes, quibus ut plurimum læditur Chriſtiana Caritas, atque interdum diſſociantur ſanctiſſima quoque ſodalitia, devitaret vir pacis perinde ac caritatis ſtudioſiſſimus.

LXXXII Quid contineat primus Annalium tomus.

Rei diplomaticæ ſupplementum præceſſerat primus Annalium Benedictinorum tomus, ex cujus ſpecimine futuram totius operis præſtantiam atque utilitatem facile quiſque intellexit. In eo primum inſtituti ratione, ſuſceptique cauſis operis expoſitis, dein magna cum laude, nec minori grati animi ſignificatione memorat cum eos, qui ejuſdem operis conſilium longe ante illum inierant, Ordinis noſtri Scriptores, tum eos qui vel ſuam ipſi operam, vel documenta liberaliter conferre dignati fuerant. præfationem excipit liber primus, in quo luctuoſum Eccleſiæ ſimul & Imperii, atque etiam Monaſtici Ordinis ſtatum

tum luculenter exhibet, infinitaſque calamitates illius ævi, quo natus eſt Beatiſſimus Pater Benedictus, Cimmerias illas tenebras non ſuo ſolum, ſed & diſcipulorum ſplendore diſcuſſurus, Ordiniſque monaſtici propemodum emortui cineres excitaturus: antiqua ſubinde recenſet, quæ in ortu Benedicti extabant in orbe Chriſtiano Cœnobia; illorumque refert fundationem, quæ poſtmodum per omnes ferme Europæ regiones longe lateque Regum ac Principum munificentia ſimul & pietate condita leguntur. in hoc demum primo Annalium volumine ducentorum amplius annorum eventa decem & octo libris comprehenſa (quorum ultimus in annum ſeptingenteſimum definit) cum duplici appendice referuntur; atque ut narrationi ſua ſtet autoritas, probationes, quibus fidem faciat, alias ex actis Sanctorum noſtrorum repetit; alias, quæ alibi editæ ſunt, ad marginem indicat; alias denique in contextu vel ſummatim, vel integras, aut in appendice refert: nonnullas etiam eaſque antiquas picturas in æs inciſas, quidve quæque momenti contineat, exhibet.

Calcem operis duplex appendix occupat. Prior Apologiam Miſſionis S. Mauri in Gallias continet, autore inclytæ mem. Theodorico Ruinarto ſtudiorum

Ma-

Mabillonii digniſſimo plane ſocio, laborumque participe, qui eum moleſto editionis hujus labore, magna ex parte levavit, indiceſque contexuit, quos ſequitur diſſertatio de Gregorii Magni monachatu. Poſterior appendix nonnullas probationes complectitur, varia ſcilicet monumenta antehac inedita, quæ in corpore voluminis tantum ſummatim laudantur. Porro Annales iſti non monaſticam ſolum, ſed eccleſiaſticam quoque, ac civilem hiſtoriam complectuntur. neque enim eruditorum expectationi feciſſet ſatis Mabillonius, niſi ſcite, ut fecit, plurima eaque varia tum eccleſiaſticæ, tum civilis hiſtoriæ eventa monaſticis intermiſcuiſſet.

LXXXIII Miro plauſu excipitur primus Annalium tomus.

Primum hoc Annalium Ordinis volumen ingenti eruditorum plauſu nec minori gratulatione exceptum, reliquorum cupiditatem in omnium animis excitavit. In primis vero qui litterariæ perinde ac eccleſiaſticæ rei pari ſtudio ac ſollicitudine invigilat, conſulitque utriuſque utilitati Clemens XI. Pontifex Maximus, eodem quo cæteri eruditi deſiderio inflammatus, cœptum opus, quam poſſet maxima diligentia, ut proſequeretur, vehementer Mabillonium hortari dignatus eſt, ſuis ea de re per Eminentiſſimum Cardinalem Paulutium litteris ad eum directis, quarum hic ſummam

afer-

afferre, haud ingratam futuram lectori, viſum eſt. *Tibi*, inquit modo laudatus Eminentiſſimus Cardinalis, *Sua Sanctitas ſuſceptum opus, quod illuſtri ingenio eximiaque eruditione tua maxime dignum putat, ex animo gratulatur; utque illud, quantum rei moles permiſerit, urgeas vehementer cupit; rata poſteris magno incitamento futurum ad æmulanda quæ paſſim occurrunt egregia majorum exempla, & parem omnino ſolidamque gloriam tuo nomini comparaturum. hæc reſpondere me tibi juſſit Sanctiſſimus Pater* &c. *Dat. 24. Junii MDCCIV.*

LXXXIV Prodit in lucem ſecundus Annaliū Tomus.

Tanti Pontificis votis juxta ac litteris mirum in modum animatus Mabillonius, reliquis elaborandis Annalium tomis animum ſtudioſe adjecit; atque exeunte anno MDCCIV. alterum tomum eodem quo primum litteratorum aç bonorum omnium applauſu publici juris fecit. Habet volumen iſtud res geſtas a noſtris per centum quadraginta novem annos, ab anno ſcilicet ſeptingenteſimo, in quem primum deſinit, ad annum uſque octingenteſimum quadrageſimum nonum, quo ſecundum clauditur. In hoc annorum decurſu cum multa ad memoriam inſignia contigere, tum quattuor potiſſimum quæ majori obſervatione digna videntur. Et primo quidem converſio Germanorum, & Septentrionalium ad Chriſtianam & Catholicam fidem per noſtros, itemque vitæ monaſticæ

ſticæ propagatio per illas plagas, quæ quantum noſtris debeant teſtantur adhuc extructarum ab iis urbium nomina, ſcholarum publicarum inſtitutio, ex qua litterarum & ſacræ doctrinæ traditio, quatenus illa tempora ferebant, ad poſteros promanavit. 2. Sacri inſtauratio Cœnobii Caſinenſis per Petronacem Abbatem, & Caſinenſes monachos, qui poſt ejus everſionem a Longobardis factam, Romæ in Patriarchio Lateranenſi, favente Pelagio Secundo, conſederant. 3. Prima Ordinis noſtri ad primigenias leges reformatio. 4. Catholicorum dogmatum defenſio a noſtris ſuſcepta, feliciterque peracta; ex quibus Mabillonius Theodemirum Abbatem, nec non Paſchaſium Radbertum plurimum laudat: quorum alter legitimum imaginum cultum apud Orientales, ſubindeque apud Gallicanas partes diſceptatum aſſeruit; alter vero catholicam divinæ Euchariſtiæ fidem, Chriſtique Domini carnalem in Sacramento præſentiam ſtrenue vindicavit, ut patet ex inſigni ab eo edito libro de Sanctiſſimo Sacramento; in quo primus inter veteres data opera ſic argumentum iſtud pertractavit, ut eum veluti Apoſtolicæ traditionis eximium hac in cauſa interpretem agnoſcat Catholica Eccleſia. His adjunctos voluit Mabillonius inſignes Ordinis noſtri

ſtri Scriptores, Rabanum Maurum, Lupumque Ferrarienſem, quorum laudat eximias animi dotes, ac præclara in Eccleſiam merita.

LXXXV Tertium Annalium tomum evulgat.

Biennio poſt ſcil. MDCCVI. in lucem prodiit tertius Annalium tomus, qui poſteriores ſæculi noni annorum decades, octo vero priores ſæculi decimi complectitur. In eo primum utriuſque ſæculi diſſimilitudinem, ſubitoq; factam rerum perinde ac morum converſionem demiratus Mabillonius, utrumque ſimul ſæculum confert. & in nono quidem morum elegantiam, reverentiam legum, litterarum amorem, eruditorum virorum, atque præſtantiſſimorum Romanæ Eccleſiæ Pontificum copiam, aliaque ejus ævi inſignia ſuſpicienda memorat. in decimo vero craſſam ubique ignorantiam, neglectum litterarum, morum depravationem, bellorum exitia, raros, hocque nomine parum dignos Pontifices, immanem demum & ubique graſſantem quidvis audendi & agendi licentiam, elegantiſſime deſcribit. Tantæ porro in duobus illis continuis ſæculis diſſimilitudinis non unam, ſed plures rationes affert Mabillonius; & quidem feliciorem illum noni ſæculi ſtatum ex cultu præſertim bonarum litterarum, contra vero nefandam illam ſæculi decimi corruptelam,

ex

ex earumdem neglectu profectam existimat. Sublata quippe, inquiebat vir sapientissimus, scientia, non est qui eruditat, non est qui exhortetur, non est qui peccantes arguat. hæc ubi defecerint, impune peccatur, impune violatur religio; desidiæ se dedunt Ecclesiæ ministri, & cæteris, quæ inde scaturiunt, lascivientis naturæ vitiis; nulla denique inter sacros altaris ministros & plebem distantia; ut populus, sic sacerdos, id probe intellexerat eximius ille Princeps Carolus re ac nomine vere magnus, qui subjectorum sibi mores in toto reformaturus imperio, de restituendis litteris in primis sollicitus fuit; certus ex earum instauratione, mores fieri si non statim meliores, saltem politiores: quæ res magnum comparandæ virtuti adjumentum affert; contra vero ex litterarum neglectu, indocilem plerumque ferociam, & indomitam curiositatem oriri, quæ vix ullis monitis & adhortationibus ad virtutem flecti possint. Et sane plures ignorantia corrumpi, quam litterarum cultu, quæ homines saltem humaniores & ad vitam socialem aptiores reddunt, nemo eat inficias. elegantem enim doctrinam liberalis quoque natura & indoles comitari solet, hujus rei testes affert locupletissimos tum Lupum Ferrariensem, virum ut in scribendo doctissi-

Quantum ignorantia noceat.

Quantum juvet scientia.

ctiſſimum, ita in refellendis adverſariis humaniſſimum, tum Paſchaſium Radbertum, qui tantam in ſublimi eruditione modeſtiam tenuit, ut non omnium modo ſe monachorum peripſema dictitaverit ſcripſeritque; ſed factis quoque ita ſe ſentire teſtatus ſit. is quippe ad ſuſcipiendum Sacerdotii gradum adduci numquam potuit, levitico gradu contentus.

Quamvis porro in hoc decimo deſcribendo ſæculo (quod ſui aſperitate ac boni ſterilitate ferreum, mali exundantis deformitate plumbeum, atque ſcriptorum inopia obſcurum jure ac merito vocat Eccleſiaſticorum Annalium Parens Baronius) rei cum eccleſiaſticæ, tum politicæ, quin etiam & monaſticæ ſtatum exhibeat longe a ſuperiori diverſum, nec paria prioribus Ordinis noſtri ſæculis eventa referat ac progreſſus, ſed potius cum perpetuis occidentalis Imperii bellis, motibus, flagitiis, ac devaſtationibus, modo everſa Monaſteria, modo dilapidata Monachorum bona, modo exturbata religioſa ſodalitia, aliaſque id genus calamitates, quibus labefactari ſolet regularis diſciplina, frequens commemoret; inde tamen haud lectoribus ingrata, quin ex tanta potius rerum varietate longe amœnior videri debet ſæculi hujus hiſtoria: Ideo autem collapſæ diſciplinæ cauſas ſtuduit obſervare Mabillonius, ut

ex

ex earum notitia, qua ratione tam exitialibus rei monaſticæ detrimentis occurri queat, poſteros erudiret. haud abſimili conſilio adverſa quæque proſperis eventa ſcite admodum intertexuit, ut nimirum tot inter ævi hujus flagitia, inque morum licentia tanta non tantum ſanctitati, quantum priſtino Eccleſiæ Ordiniſq; monaſtici ſplendori detractum fuiſſe demonſtraret. Siquidem ut appoſite notat Mabillonius, vix tot, tamque conſpicui Monachi Epiſcopali dignitate decorati aliis ſuperioribus ſæculis reperiuntur. ex quo quantum peſtilentiſſimis temporibus ex Monachorum doctrina utilitatis Reipublicæ accedat, facile quivis conjicere poteſt.

LXXXVI Quartum Annalium tomum publicam in lucem emittit.

Tertium Annalium tomum brevi ſubſecutus eſt quartus medium circa annum MDCCVII. evulgatus, nec minori quam ſuperiores approbatione exceptus. Comprehendit tomus iſte annos octoginta, ſcilicet reſiduos ſæculi decimi, & ſexaginta ſex undecimi, in quo jucundior longeque ſerenior, quam in præcedenti ſæculo ſe ſe explicat rerum facies. quantum autem ſæculum undecimum decimo præſtiterit, cum ex rerum geſtarum magnitudine, tum ex propagatione Ordinis, tum Monaſteriorum acceſſione, ac diverſarum ſub Regula Sancti Benedicti inſtitutione Congregationum, ac tum maxime

Qua in re ſæculum undecimū decimo præſtet.

ex reſtituto per Benedictinos Pontifices Romanæ Eccleſiæ ſplendore, luculenter oſtendit Mabillonius ; in hoc uno undecimum ſæculum decimo infelicius exiſtimans, quod illud ſectas aut hæreſes ſaltem diuturnas in Eccleſia Latina parturierit nullas ; illud vero, proh nefas ! peſtilentiſſimam Berengarii hæreſim, quæ ad noſtra uſque tempora per Henricianos, Petrobuſianos, Valdenſes, in noviſſimas Lutheri & Calvini ſectas tranſmiſſa eſt, infelici partu ediderit. Verum Divino factum conſilio eſt, ut, quæ monſtra protulit ætas, hæc eadem viros pareret fortiſſimos eoſque doctiſſimos, qui ea virtute fugarent, doctrina vincerent, ſcriptiſque omnino delerent.

Hos inter, naſcenti hæreſi Berengarii ſe ſe ſtrenue ſtatim oppoſuit Lanfrancus Scholis tum Beccenſibus præfectus; quemque ſuas in partes allicere fruſtra tentaverat Berengarius ; Lanfranco ſe ſe adjunxere Guitmundus, Durandus Troarnenſis, aliique e noſtris, dein Algerus Cluniacenſis, qui omnes Catholicam Euchariſtiæ fidem ſtrenue juxta ac erudite propugnarunt; ex quibus (citra jactantiam dictum velim) colligere eſt, quantum Majores noſtri illis temporibus, uti & ſuperioribus ſæculis ad pietatem doctrinamque reſtituendam & illuſtrandam contulerint.

Ve-

Verum peculiaris, inquit Mabillonius, noſtrorum gloria hæc eſt, quod Catholicam de Sanctiſſimo Sacramento fidem & veritatem ſcriptis ſuis contra novatores adſeruerint, viam aperiente Beato Paſchaſio Radberto Abbate Corbejenſi; quem deinde ſecuti ſunt prælaudati Lanfrancus, Guitmundus, & Durandus Troarnenſis; quibus accenſendi quoque ſunt Gezo primus Dertonenſis Cœnobii Abbas, Albericus Caſinenſis Monachus, qui in Synodo Romana ſub Greg. VII. contra Berengarium acerrime diſputavit. VVolphelmus quoque Breunvvillerenſis in Colonienſi Diœceſi Abbas, qui epiſtolam ſcripſit ad Meginbardum Abbatem Gladbacenſem. Hæc, inquit Mabillonius, ſunt ardentiſſimi in rem Catholicam ſtudii præclara ſane exempla, quibus inſiſtere, ni degeneres eſſe velimus, nos oportet, quatenus ſinunt inſtituti noſtri leges; quibus neglectis, quævis commendatio a doctrina & eruditione profecta, inanis plane eſt, & apud æquos rerum æſtimatores vileſcit.

Peculiaris Benedictinorum gloria.

Cæterum ut in tam longo tamque multiplicium & diverſarum rerum decurſu, difficile, immo impoſſibile eſt, hac præſertim ætate, non cæſpitare aliquando & errare, *ſic*, inquit Mabillonius, *errata mea, ubi mihi comperta fuerint, agnoſcere & emendare non erubeſcam, iis omnibus gratiam habiturus, qui eorum me amice & benevole admonuerint. Sane quantum ex amicorum admonitionibus profecerim, argumen-*

Mabillonii in Eccleſiam demiſſio, ac modeſta confeſſio.

to ſunt ſuperiorum voluminum emendationes & retractationes, quas cum ex meis, tum ex eorum animadverſionibus ad calcem quarti voluminis apponere viſum eſt, ne ſi eas in aliud volumen reſervarem, forte mihi memoriæ excidirent. Verum non omnino rigidos ac ſeveros monitores, cenſoreſve, ſed benignos mihi adeſſe velim. multa mihi condonari, quæ quidem tolerabilia ſunt, multa indulgeri opto, niſi ſi quid contra quemquam inofficioſe, maxime ſi quid vel tantillum contra debitam Catholicæ Rom. Eccleſiæ reverentiam vel doctrinam mihi incogitanti, & nolenti excidiſſet. abſit enim ut ab hac regula veritatis, matre inquam Eccleſia umquam diſſentiam, cujus judicio ac cenſuræ quæcumque hactenus ſcripſi; aut ſcripturus ſum lubens ac volens & ex animo ſubmitto; in cujus ſinu & fide ſemper vixi, & conſtanter, adjuvante Deo, emori exopto. Talia fuere poſtrema ac viro plane religioſo digniſſima verba, quibus quartum; atque utinam non ultimum Annalium volumen concluſum voluit; hi ad mortem uſque fuere ejus animi ſenſus.

LXXVII Quintum Annalium Tomum publicæ luci tradit D. Renatus Maſſuet.

Quintum typis jam paratum Annalium tomum tenebat Mabillonius, cum invidente fato nobis ereptus, eum ſtudiorum ac laborum Socio Theoderico Ruinarto evulgandum reliquit. Verum eo quoque biennio fere poſt vita functo, qui utriuſque continuandis ſtudiis conſpi-

ſpirantibus majorum ſuffragiis præfici meruit D. Renatus Maſſuet, utriuſque fidem nuperrime liberavit; talemque fere publicæ luci tradidit, qualem reliquerat vir clariſſimus, paucis exceptis, quæ tum a Ruinarto, tum ab ipſo adjuncta ſunt. Comprehendit porro volumen hoc annos quinquaginta, triginta ſcilicet & quattuor reſiduos undecimi ſæculi, & ſexdecim duodecimi: ea autem eſt pars hiſtoriæ noſtræ, qua jucundior aut utilior vix legi queat. in ea enim cum monaſticis ſcite fœderata videas eventa Eccleſiaſtica juxta ac civilia; ibi deſcripta geſta & præclara virtutum exempla una cum plurimis, qui Benedictinam ſimul & Eccleſiaſticam Rempublicam illuſtrarunt, viris inſignibus, Hugone Magno Cluniacenſi, Bernardo Clarevallenſi, Petro Damiano, Lanfranco, & Anſelmo utroque Cantuarienſi Archiepiſcopo, Summis Pontificibus, multis principum ſedium Epiſcopis, legatis Sanctæ Sedis, aliiſque clariſſimis Ordinis Monachis, quorum doctrina, conſiliiſque uſi non ſemel ſunt Principes, Magnates, Summi Pontifices, & Epiſcopi. In ea denique longe lateque propagatam ſuſpicias rem monaſticam, extructa de novo pia Principum, Magnatum, nobilium quoque ac plebejorum æmulatione monaſteria, vetera una cum diſciplina regulari reſtau-

tata, inſtitutas variis in Regnis Congregationes, in quibus cum virtutibus floruere litteræ; viguitque in primis mira in ſervandis veterum operibus ſollicitudo, in tranſcribendis manu exaratis codicibus diligentia, cura deniq; in conſcribendis hiſtoriis propemodum ſingularis, in quo ſingulare illud eſt ac memoratu dignum, quod apud Monachos Anglos ſtatutum refertur, in ſingulis Regalibus Monaſteriis deligendum eſſe peritum aliquem & accuratum ſcriptorem, qui præcipua Regis geſta, & Regni eventa notaret, & in acta referret; omnia ad proximum generale Capitulum poſt obitum Regis deferenda, ut ex omnium collatione a ſagacioribus quibuſdam a Capitulo deſignatis facta, accurata Chronica conſcriberentur, & in archivuis monaſteriorum diligenter aſſervarentur.

LXXXVIII. Mabillonius in morbum incidit.

Ineunte menſe Decemb. ann. MDCC VII. ſummo mane, ut ei mos erat, expergefactus Mabillonius, ſolitiſque perſolutis pietatis officiis, ſtudio aliquandiu operam dedit; ſubinde vero devotiſſime celebrato Miſſæ Sacrificio * Calam, ad nobile Virginum Benedictinarum Cœnobium haud procul ab urbe Pariſienſi poſitum, proficiſcitur. Verum ſine me iter ſuſcipere Mabillonium moleſtiſſime tuli, quod ſalutis cauſa ſocium ei neceſſarium fore

* Chelles.

ex-

experimento noveram; imminenſque illius incommodum non una ratione augurari poſſe mihi videbar. & ſane non me fefellit opinio: ſiquidem ex urbe vix egreſſus, lotii difficultatem expertus eſt; idque incommodi partim timore ne gravaret itineris ſocios, partim pudore ne illos offenderet, diu nec ſine gravi diſcrimine tacitus ferens, intempeſtive tandem indicare, quin etiam ob mali acerbitatem in veſtigio hærere, ſocioſque itineris, quò tendebant ut pergerent, rogare coactus eſt. ſubinde pedetentim pro viribuſque incedens, ac fruſtra commodam vecturam expectans, reliquum iter pedibus confecit. quodque gravius accidit, ad prædictum Virginum Cœnobium non ſine incredibili morbi, itineriſque moleſtia adventanti, nullus qui congruum morbo remedium ferre poſſet, occurrit; unde per reliquum diem noctemque ſequentem acerbiſſimis doloribus excruciatus, in vitæ diſcrimen adductus eſt, eo quidem gravius quod mali rationem penitus ignorantes ejus loci Medici ægrum non tam levare, quam per dies octo variis iiſque interdum contrariis remediis conficere videbantur. quæ ut audivit celebris Medicus Pariſiis illuc vocatus, incredibilia paſſum fuiſſe Mabillonium palam aſſeruit. & quidem per dies complures invicto ac religioſo plane ani-

mo ea pertulit, quæ a quovis alio vel tolerantiſſimo per aliquot horas ferri vix potuiſſent.

LXXXIX Ruinartus ægrotantem Mabillonium convenit.

Audita, quam mihi ſtatim ſignificatam voluit, gravi illius ægritudine, mox ad eum convolavi; nec ſine ſtupore oblata ſibi quæque remedia, morbique acerbitatem æquo non tantum animo perferentem, ſed deflentes quoque amicos conſolantem inveni. Morbo invaleſcente, Præpoſitis noſtris non ſemel autor fui, ut Pariſios quamprimum revehere-tur. Interim mœrentem me, atque ob morbi gravitatem timentem confirmare, hortari, atque hiſce verbis conſolari ſtudebat: *An*, inquit, *putas id adverſi non fuiſſe a Deo ordinatum? qui percuſſit, ipſe, ſi velit & expediat, ſanabit humanæ ſalutis autor*. Subinde vero divinæ (cui omnia ſervire debent) voluntati ſe totum committens, modo hæc, *Dominus eſt, quod vult faciat*; modo iſta Scripturæ verba mente ſimul & ore proferebat, *Sicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum*. quæ cum in reliquis, tum maxime in rebus adverſis ubique uſurpare ſolebat.

Mabillonii patientia, ejuſque divinæ voluntati ſummiſſio.

XC Sacramentis muniri poſtulat.

Porro ex morbi gravitate, atque acutiſſimorum, qui non tam remitti, quam in dies recrudeſcere videbantur, dolorum acerbitate brevi ſe moriturum proſpiciens, mox, abjecta omni alia cura, deque una

na animæ ſalute ſollicitus, ſe totum ad Deum convertit, Sacramentiſque muniri poſtulat; quæ ubi Medicorum ac Præpoſitorum judicio in aliud tempus dilata audit, pœnitentiæ ſaltem lavacro, quo fructuoſius, moderatiuſque malum perferat, ut expietur enixe rogat. Tum vero imminentem, cujus me privatim monuerat, mortem acerbiſſime deflenti, hæc repoſuit: *Quid tanto mœrore conſumeris? an neſcis, quod præire tibi debeam? angi mollitia eſt, reluctari inſania. Si Deus ita jubet, quid quereris? culpare potes aliquid in eo, & ab eo, qui benignitas totus? quod a Deo factum audis, cogita non temere, non fortuito, ſed eo conſilio factum, quo non modo nihil niſi æquum & juſtum, ſed nihil quoque niſi quod bonum ac ſalutare nobis providet ac decernit. Ubi æquitas, quis reclamare audeat? ubi vero cum æquitate noſtra quoque conjuncta ſalus & utilitas eſt, quam ingratum foret, non æquo, non moderato animo ſuſcipere quidquid benigno Patri noſtro placuerit? quid igitur doles? adverſus caſum hunc dudum te paratum oportuit, & præmunitum. moriturum luges? an id inſolens diſcipulo præire magiſtrum, filio parentem?* His animi ſenſibus inflammatus, diſſolvi & cum Chriſto eſſe cupiebat, exiſtimabatque cum Apoſtolo mori lucrum.

Mœrentē ſocium cōſolatur.

Is porro erat, quo in Chriſtum æſtuabat, amor, ea in ejus miſericordia ſpes, ac

XCI Mabillonii in

Chriſtum amor, & fiducia.

ac fiducia; ut in extremo licet vitæ diſcrimine poſitus iſthæc identidem uſurparet Ambroſii verba; *Non timeo mori; quia bonum Dominum habemus*. Lugebant interhæc fratres; & in lachrymas ſolvebantur; at ille caſtigabat inertes lachrymas, lætoque vultu ſolus ipſe mœſtos ſolabatur circumſtantium animos. Rebus interim ſuis conſulens; ac futura proſpiciens, ut inveſtigandis ac colligendis iis; quibus, eo demortuo, uti poſſem; documentis animum diligenter intenderem, eorumque in me curam ſuſciperem, enixe hortabatur. Paullo ante quam in morbum incideret, ſtranguria ſe moriturum quaſi vaticinando ſignificaverat: quin etiam integro fere ante obitum anno, cum ſcilicet Annalibus navaret operam, atque Anſelmi (cujus eximiam eruditionem, nec minorem eruditione pietatem, ac regularis diſciplinæ ſtudium demiratus non ſemel erat) Acta conſcriberet, mihi aliquando cellam ſubeunti repoſuit: Anſelmi acta cogito, eodemque quo ipſe ætatis anno e vita migrabo. Rem probavit eventus: ſiquidem, uti Anſelmus, ſeptuageſimo ſexto obiit. Sed multo etiam ante ſupremum ſibi diem prænuntiaverat; quod quidem poſt obitum obſervatum eſt.

Sodalium ſollicitudo, & ca-

Ne Pariſios adhuc remearet Mabillonius non una ſane ratio ſuadebat: in primis

mis vero invicta ejus in ferendis doloribus patientia, Abbatiſſæ ac Monialium * Calenſium in ſuppeditandis neceſſariis caritas ac diligentia prope ſingularis, ſodalium denique indefeſſa ſollicitudo, quæque a multis dabatur ſalutis recuperandæ ſpes non dubia: in contrarium vero non parum movebat febris, quæ levis licet, haud minus tamen periculoſa videbatur; nec non mali pertinacia, quæ nullis jamdiu remediis remitti vincique poterat. Eo Mabillonii diſcrimine, meiſque tandem litteris non mediocriter commoti Præpoſiti mox exercitatum peritumque Medicum mittunt, qui, cognito Mabillonii morbo, levamen non ſolum attulit, ſed ipſum quoque ad profectionem impulit: hæc quo commodius fieret, lecticam ſuam, quam, audita Mabillonii ægritudine, non ſemel pro ſua in eum benevolentia perhumaniter obtulerat, ſuppeditari voluit Eminentiſſimus deque noſtra Congregatione dudum præclare meritus Cardinalis Eſtræus, procurandæ ſalutis ejus præ aliis ſummopere cupidus.

ritas in Mabillonio curando.

* de Chelles.

Die igitur conceptæ Deiparæ Sacro ad Sangermanenſe Cœnobium mecum profectus, incredibili non ſodalium modo, ſed multorum qui eo confluxerant, amicorum lætitia excipitur, atque in ſpem brevi conſecuturæ ſalutis facile quiſque adducitur. verum qui votis noſtris longe con-

XCII Pariſios revehitur.

contraria meditabatur rerum omnium moderator Deus, infirmo atque ætate confecto Mabillonio vires præter omnium expectationem conferre & augere videbatur, quo melius probatum, diutiusque expurgatum novo quodam martyrii genere digniorem efficeret cœlo victimam.

Mabillonii patientia, animique tranquillitas.

Interim ex incongruis, aut fero paratis remediis morbo renascente, in diesque recrudescente, sic est debilitatus Mabillonius, ut nullum sine vitæ aut saltem gravioris febris discrimine præsens remedium ferre, peneque desperata salute, vix paullulum jusculi haurire posset. in hoc porro acerbissimo statu ea erat ejus animi moderatio, illudque silentium, ut non sine adstantium stupore a Chirurgis, quo ferrum securius ducerent, conceptum dolorem verbis aut gemitibus ut indicaret, non semel rogatus fuerit. hæc erat, cæteris ejus vicem dolentibus, Mabillonii tranquillitas, hæc in cruce, cui cum Christo suffigi se gloriabatur, mira sane animi quies. Et quidem in cruce positus videbatur, cum sive ob dolorum acerbitatem, sive ob diuturnam, qua angebatur, remediorum molestiam nulla ratione in alterum latus moveri posset. hæc quo æquiore ac moderatiore animo perferret, mentem nunc piis ad Deum pascebat affectibus, nunc sacris lectionibus recreabat, potissimum vero novi Testamenti

Mentem divino sermone pascit.

ac

ac Epiſtolarum D. Pauli ; cujus vel nomen audiens ſupra modum delectabatur. In lectione Dominicæ paſſionis arridebant in primis ea loca moderandis infirmorum moleſtiis magis accommodata, qualia erant quæ ſcite prorſus ſelegerat Lucionenſis Epiſcopus ; quorumque ipſe nonnulla intexuerat ſuo de morte Chriſtiana opuſculo, quo tum præſertim uſus eſt. cum enim illud eo conſilio edidiſſet, ut Chriſtianam mortem ad Chriſti Sanctorumque exempla efformaret, frequens ſibi legi curabat : hujuſmodi porro lectione eo magis accendebatur mens Mabillonii, quod in hoc opuſculo, illorum dumtaxat collegerat virorum illuſtrium mortes a graviſſimis coætaneiſque autoribus concinnatas. in primis autem non ſine quadam animi ſuavitate, ejus auſcultabat epiſtolæ lectionem, quam ad Romanos ſcripſerat Ignatius Martyr jam jam moriturus. mirabatur in eo clariſſimo Præſule immenſum quo flagraverat ſubeundi martyrii ſtudium ; eoque aliquando mirum in modum inflammatus, ſemel & iterum ea ſibi epiſtola ut legeretur rogabat : adeo inſignis Martyris exemplo adductus, adverſa quæque atque acerba pro Chriſti amore ſuſtinere, diſſolvi & cum eo eſſe optabat.

XCIII Sacrum quotidie

Capellæ valetudinarii proximus, Sacrum quotidie mira animi pietate audiebat;

audit, nec officia umquam intermittit.

bat ; multorumque edoctus Sanctorum virorum exemplis diurna ſtatis horis officia in morbis etiam graviſſimis numquam intermittebat ; aut iis interdum invite omiſſis , alias preces ſufficiebat . orationes memoriter tenens cuique feſtivitati proprias devotiſſime recitabat ; quæ vero memoria excidebant , eas coram ſe legi poſtulabat , ſubindeque reſumebat . quam laudandam ſane conſuetudinem ad extremum uſque ſpiritum non ſolum ipſe tenuit ; verum etiam a ſodalibus valetudinario præpoſitis accurate teneri curavit . neque enim audito divinorum officiorum ſigno , quemquam ſui cauſa iis abeſſe patiebatur ; quamobrem quantum poterat paullo ante neceſſitatibus conſulebat ; per idque temporis ſeipſum intime colligens divinas cum fratribus laudes mente decantabat . nec inde , haud temere dixerim , minorem , quam fratres , qui choro aderant , fructum referebat .

Mabillonii accurata pietas.

Parem cum religione pietatem in extremo vitæ periculo teſtatus eſt ; nec abſimilem exhibuit in perſolvendis pietatis officiis diligentiam . diurnam quotidiani officii recitationem ne in ipſo quidem obitus die , quin etiam ne in ultimo quidem ferme inſtanti prætermiſit ; & velut corporis immemor , deficiente natura , hoc uno propemodum pane animam recreabat . Sic moriebatur , ut vivere non recu-

recuſaret ; ſic autem vivebat ut ſupremum non metueret diem, *Et ſpiritu magno vidit ultima*.

Deo ſic erat mente intentus, atque a rebus terrenis adeo alienus, ut de iis diſſerentes non niſi moleſtiſſime audiret, id aliquando in valetudinario ſignificavit, cum duobus viris ſæcularibus procul licet ab eo poſitis primum de morbo, deinde de rebus novis colloquentibus, nonnullos, quos ipſe pietatis cauſa ingeminabat, Sacræ Scripturæ verſus (non quidem ut offenderet, vir enim erat omnium urbaniſſimus, ſed ut ſermonem alio verteret) oppoſuit ; huncque in primis alta voce pronunciavit ; *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, ſed non ut lex tua*. Ex quo quam ingrati Mabillonio forent hujuſmodi ſermones uterque plane intellexit. Haud æquiori animo teſtatam ſibi a multis de ſe exiſtimationem atque benevolentiam audiebat. unde caute memorandi erant, qui cauſa inquirendæ ejus ſalutis ad Sangermanenſe Cœnobium aſſidue confluebant viri undequaque conſpicui, quod ſui quiſquam memor foret, per ipſi mirum videbatur ; ſeque interdum in conſpectu Divinæ Majeſtatis deprimens atque ad cor rediens, non ſe niſi de Chriſto aut in Chriſto lætari & gloriari poſſe cupiebat. Cave tamen lector, ſequius quidpiam inde de Mabillonio ſuſpiceris.

XCIV Uni Deo, ac ſaluti intentus mundanos ſermones illibenter audit. Pſal. 118.

gra-

gratias enim eaſque maximas amicis ſuæque valetudinis cupidis diligenter ac liberaliter ſuo nomine rependi volebat; ſed cautum potius, ne delatis ſibi honoribus ſuperbiret, intellige. Siquidem plane noverat vir modeſtiſſimus, quantum ad vanitatem proclive ſit cor hominis: eapropter nullas non adhibebat Eccleſiæ preces, quo donum illud impetraret humilitatis.

XCV. Quo ſtudio virtutem illam coleret, ipſique contraria omnia procul ablegaret, exemplo eſt vir ei tunc familiaris, a quo plurimi æſtimabatur. hunc enimvero deſperatam ejus ſalutem lugentem, atque præclara in Eccleſiam & Congregationem merita, eximiaſque animi dotes uberius juſto prædicantem caſtigavit his verbis: *Humilitas, humilitas, humilitas: altum, quæſo, de rebus illis ſilentium.* quo audito qui talia dixerat ſiluit, moxque, me ſuadente, ab eo receſſit. Hanc ne vel leviter macularet, cui potiſſimum ſtudebat, humilitatem, illorum niſi invitus non excipiebat officioſos aditus, qui aut egregia ejus in Rempublicam litterariam ſilere merita, vel ſuam de ipſo celare exiſtimationem, aut ab ejus laudibus abſtinere minime poterant: ſecus vero eos ſtudioſe complectebatur, qui majoris ſtudio pietatis, aut melioris frugis deſiderio inflammati ad eum confluebant,

Quo animo officioſos aditus exciperet.

præ-

præſertim vero plebejos, infimæque ſortis homines; quibuſcum, dum bene ei eſſet, eo interdum lubentius verſabatur, quod in iis luculentius eluceret, quam impenſe amabat, Chriſtiana ſimplicitas, ingenuuſque animi candor; eoſque demum crederet comparando cœleſti regno magis idoneos, utpote a rerum terrenarum ſollicitudine, periculiſque divitum procul poſitos. hujuſmodi ſe hominum orationibus commendare, ac congrua cuique pro ſuo ſtatu & ordine conſilia ſuggerere mirum in modum ſtudebat: & quidem eo amore, eaque humanitate eos alloquebatur, ut tantæ virtutis, nominiſque virum vel conſpexiſſe ſe, vel audiſſe, gratulabundi quique recederent.

Pari aliquando grati animi ſignificatione lætitiæque ſenſu adfectum dimiſit virum eccleſiaſticum, cui recedenti ac benedictionem enixe roganti adeo non indulſit, ut potius ipſe ab eo poſtularit, ejuſque ſe precibus plurimum commendarit. haud ita poſt, cum extremo nempe morbo laboraret, abſimili modo, etſi non abſimili humilitatis adfectu, ſe geſſit erga virum genere, dignitatibus, ac fortunæ bonis inſignem, ſed fide ac religione, cujus ſtudio ſe ſuaque omnia devoverat, longe inſigniorem: huic namque, cujus animum, eximiaſque virtutes probe noverat, nec ſemel fuerat expertus, benedi-

ctionem, cum ipſe quoq; poſtularet, quamvis non illico annuerit, haud tamen negandam putavit: unde elevatis ſurſum oculis, hæc quæ ſequuntur verba repoſuit: Scio equidem me miſerum peccatorem, verum cum quidpiam me apud Deum poſſe confidas, Deum precor toto quo poſſum mentis adfectu, ut fiat tibi ſecundum fidem tuam: quo dicto, uterque vix a lachrymis temperare potuit.

XCVI Preces pro Mabillonii incolumitate.

Interea ſpem inter & metum ſuſpenſos anxioſque tenebat omnium animos continuus abſque levamine morbus; nec eos qui extremum Mabillonii diſcrimen noverant, aſſiduique doloris teſtes erant confirmare poterat, quam Medici dabant, ſpes non dubia brevi ſecuturæ ſalutis. ubi porro periclitantis Mabillonii rumor Pariſios vicinaque loca pervaſit; mox non in noſtris modo ac Sanctimonialium Cœnobiis, verum etiam in Xenodochiis, Collegiis, aliiſque permultis diverſorum Ordinum Eccleſiis pro tanti ac tam eruditi viri incolumitate orationes fieri, votis ac precibus Deus obſecrari, adhiberi pauperum ſimul & puerorum preces, dolere denique omnes. tantis bonorum, maxime vero pauperũ & puerorum precibus expetitam licet non obtinuerit incolumitatem; invictam ſaltem, qua recrudeſcentis mali acerbitatẽ pertulit, patientiam impetraſſe haud temere aſſeri poteſt.

Subin-

Subinde vero gravi, quo correptus fuerat, ſopore liber, ſupremum vitæ diſcrimen præſentiens, tempuſque inſtare reſolutionis ſuæ, mox quaſi novos collegiſſet ad pietatem animos, plena fide, cordis effuſione pene incredibili Sacramentis Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & extremæ Unctionis tamquam optimo viatico muniri ſe poſtulat, quove adfectus erat pietatis ſenſu ad ea ſuſcipienda ſe accingit. Ex iis vero quantumvis juxta antiquum Eccleſiæ ritum Oleo prius Sacro inungi, quam viatico refici, in votis haberet; haud vota tamen ſua Præpoſitis aperiri voluit. Ne, quæſo, inquit, mihi quidquam ea de re apud Præpoſitos moliaris; vitanda quippe ſingularitas; ſervanda in omnibus, deſideriis licet contraria, Congregationis Eccleſiæque conſuetudo. Et certe cum omnia a conſuetudine reguliſque abhorrentia vivens diligentiſſime devitaſſet, ea qua vixerat ſimplicitate & communi rerum omnium obſervantia emori voluit. Exinde vero ne quis pietatem turbaret ſuam, ad finem uſque veſperarum, quam in horam indicta erat Sacramentorum adminiſtratio, ſe non tam morbo fractum aut ſopore gravem, quam ſibi collectum intimeque Deo unitum exhibuit. ea porro erat qua Chriſti ſuſcipiendi flagrabat cupiditas, ut moræ, quam afferebat Martyris Thomæ Cantuarien-

Oleo Sacro ante Viaticum inungi cupit, nec tamen petit ſingularitatis inimicus.

Ejus Chriſti ſuſcipiendi cupiditas.

ſis Archiepiſcopi feſtivitas; impatiens, anxius tamdiu fuerit; donec pietati ſuæ jam jam ſatisfactum iri non dubitavit.

XCVII. Mabillonii pietas in ſuſcipiendis Sacramentis.

Decantatis Veſperis, ingenti ſodalium quin etiam & ſæcularium frequentia per Superiorem defertur ipſi Corpus Dominicum; ad cujus conſpectum, ceu nubes ad Solis radios, fugari ſopor, redire animus, vires mirum in modum augeri: quæ porro ineſſet ei religio, fidei magnitudo, ardorque caritatis, vel ex ſumma, qua Sacramenta ſuſcepit animi reverentia, ac ſingulari prope, qua conſuetas cum miniſtris Eccleſiæ preces recitavit, mentis præſentia, tum in primis palam omnibus fecit. poſtulata deinde ab omnibus, quos aut verbis, aut actibus ne offendiſſet verebatur, ſupplici venia, breviqué perinde ac modeſto ſermone allocutus ad lachrymas uſque commotos Sodales, quo purior ante Chriſti tribunal appareat, expietque anteactæ vitæ ſordes, conceſſæ Ordini noſtro in articulo mortis indulgentiæ ut ſibi impertirentur rogavit; iteſumque accepta Sanctiſſimi Sacramenti benedictione reliquum diem in Dei laudes, pios animi adfectus, aſſiduamque orationem inſumpſit.

XCVIII. Ejus cum Deo mentis unio.

Cum eſſet tum Dominici tempus adventus, pias illas, adfectuque plenas (quibus ſua in Chriſtum venturum vota gemituſque promere ſolet Eccleſia) anti-

pho-

phonas aſſidue ingeminabat, ſibique juxta lectum recitari ſatagebat. Divinas jucunde miſericordias in æternum decantandas prælibabat, ſuaviter *Chriſti bonus odor* in aſtantium corda diffundebatur, abunde inſpirabat omnibus Dei charitatem, uni denique Deo intentus, re nulla ne morbi quidem doloribus impediebatur, immo ex iis elevandæ ad eum mentis argumentum undique captabat: ſi quid vel a fratribus adjumenti, vel a Præpoſitis indulgebatur ſolatii, id ſane totum non ſine grati in utroſque animi ſignificatione, Deo acceptum referebat. Quis, inquiebat, ſum ego, Deus bone, ut tanta mei cura habeatur? aut quæ de reſtituenda peccatoris valetudine tanta tamque aſſidua fratrum ſollicitudo? mihi plus æquo indulgetur, indeque ne a Deo puniar, vereor. Sive ſanus, ſive æger, nihil accipiebat, niſi prævia mentis ad Deum elevatione, quam mox excipiebat de rebus acceptis gratiarum actio.

XCIX. Se parat ad mortē ſubeundā.

Ingraveſcente in dies morbo, quo ſe magis ac magis ad illum ferendum obfirmaret, nonnulla ut ſibi interdum legerentur flagitabat Sacræ Scripturæ loca, ac illuſtria præſertim eorum exempla, qui curas omnes ac ſtudia in id contulerant, ut pie ac ſancte ex hac vita migrarent; ſcilicet ut in ſingulorum vitam intuens, cui ſuam

conformaret, ſimilem quoque mortem aſſequeretur. interim ex febris remiſſione, ſudoribuſque opportunis, ſpes ſalutis non modica concipitur; Nataliſque Domini pervigilium nullo fere labore ducit: adeo ut ad tantam religioſius celebrandam feſtivitatem id ei ſolaminis ac quietis indultum a Deo fuiſſe videretur. Id ſane eo conſilio factum credidiſſe Mabillonium facile intellexi ex eo exemplo, quod mihi laboribus ejuſque cauſa ſuſceptis timoribus tantiſper recreato, tunc retulit de Venerabili Petro. is enim in pervigilio Natalis Domini morti proximus, ne fratrum in tantæ feſtivitatis celebritate perturbaret animos, mortis inducias a Deo petiit, & impetravit. Idipſum etſi ſe poſtulaſſe non dixerit, forte tamen conſecuturum non obſcure indicavit. & quidem votis annuit qui *voluntatem timentium ſe facit* Deus: enimvero ut ipſi per totum Natalis Domini pervigilium, ac Sacratiſſimam noctem quietius agere, ita fratribus, famuliſque datum eſt, eo, quo par erat, pietatis ſenſu feſtivitatem celebrare. unde quo tempore antelucanum officium decantabatur in choro, idem ipſe juxta lectum ſuum recitavi; ſubindeque Sacrum, quod in valetudinario celebratum fuit, miro animi fervore audivit; nec ſine ingenti interioris ſuavitatis ſenſu cœleſti pabulo animum

Natale feſtum tranquilleagit.

nimum refecit. recitatis deinde coram eo Laudibus, reliquam noctem tranquille admodum egit, meque ut ſomno indulgerem non invitavit modo, ſed etiam coegit: ea erat ejus non de me ſolum, ſed de famulis quoque omnibus cura ac ſollicitudo. *Miniſtrari* ſibi ſemper recuſabat, qui nihil magis habuerat in votis, quam *Chriſto* in fratrum perſona *miniſtrare*.

C
De ejus ſalute deſperatur.

Fuit is toto fere Natali Domini die Mabillonii ſtatus, ex quo non mediocriter aucta tantæ, quæ agebatur, feſtivitatis lætitia. enimvero incolumitatis ſpes affulgebat eo jucundior, quo majori quiſque ejuſdem ſtudio tenebatur: porro ea firmabatur Medici judicio. is enim ubi pomeridianis horis febri pene deſtitutum reperiit, mox ut audacter, ita intempeſtive a periculo liberum pronunciavit. Siquidem vix e valetudinario diſceſſerat, cum Mabillonius ſanguinem cepit ſputare, viribus deſtitui, peracutis lateris doloribus acerbiſſime cruciari, in apertum denique vitæ diſcrimen adduci. hæc ubi audit Medicus, ſanguinis jubet emiſſionem; penituſque deſperata Mabillonii ſalute, eidem non tam ſanando, quam levando animum intendit.

CI
Summos dolores patitur.

In hoc gravi nec ſane dubio vitæ diſcrimine ſubtrahitur ipſi levaminis gratia remedium, quo non ſine acutiſſimis do-

loribus diu noctuque utebatur : verum cum inde non tam leniri quam exaſperari dolor videretur, iterum atque iterum tentatur, ſed fruſtra, nec ſine continuo ad obitum uſque cruciatu. Iis laboribus aſſiduiſque corporis moleſtiis viam ſibi ad Chriſtum parabat Mabillonius : iis viciſſim Chriſtus quo puriorem cœlo hoſtiam exciperet, Mabillonium exercebat ; utque ſacrificium numeris foret omnibus abſolutum, ſanguine voluit aſpergi. & quidem Mabillonium, ut verbis utar Auguſtini ſerm. 286. de Sanctis, *martyrium in lecto paſſum fuiſſe haud temere dixerim*.

CII Mabillonii patientia.

In his porro ferendis elucebat eo major Mabillonii moderatio, quo inerat ipſi animus acrior, delicatiorque corporis habitudo. & revera ea erat inter acutiſſimos, quibus cruciabatur, dolores vultus ſerenitas, ea mentis tranquillitas, ut niſi interdum mali acerbitate preſſus dolorem indicaſſet ſuum, ſenſus omnino expertem facile quiſque judicaſſet. Senſim ergo quotidie moriebatur ; at regina ſui mens, manebat integra. qui dolores fratrum vel leviſſimos intimo ſentiebat corde, ſuos idem deſpiciebat, ut ſolet humana gens alienos. Cum eſſet aliquando acerbiſſime divexatus, nec ſpes affulgeret ulla levaminis, nec incolumitatis, ſubjecta, quæ tum proferebam,

Chri-

Chriſti Patrem orantis verba, *Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat a me calix iſte; verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*, mox repetebat; potiſſimum autem hæc ultima, *ſed ſicut tu*, quæ ſemel & iterum elevatis ad cœlum oculis non ſine adſtantium lachrymis, atque incredibili pietatis ſenſu pronunciabat; nec minori pietatis ſenſu reſponſorium illud uſurpabat toties in adventu Domini ab Eccleſia ingeminatum, *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & Salutare tuum da nobis*. Sic reliquum vitæ ſpiritum ducebat Mabillonius, de Chriſto, cujus amore flagrabat, poſſidendo, quam de recuperanda corporis valetudine longe magis ſollicitus. hoc ſolatio recreatus *in patientia poſſidebat animam ſuam*, fidem, pietatem, humilitatem, pœnitentiæ amorem, perſeverantiam in finem, cor proprium, fratrum animos, pacem Chriſti.

CIII Mortem exhorret.

Nec ſane diffitebor, ſemel & iterum exhorruiſſe ſtatutum omnibus hominibus mortis ſupplicium. Verum Hilarionis exemplo exprobrata ſua ſibi animi parvitate, horrorem mortis non modo ſuperavit, ſed fidei quoque ac ſpei animandæ argumentum inde arripiens totum ſe vel ad vitam vel ad mortem ſupremo mortalium omnium moderatori Deo permiſit. non enim amabat, aut productum cupiebat vitæ hujus exilium, immortalitati, ſicut

Hieron. in vita S. Hilar.

ca-

cæteri homines, natus. *qui ſumus, in-*
2. Corinth. 5. 4. *quiebat, in hoc tabernaculo, ingemiſcimus gravati, eo quod nolumus expoliari ſed ſuperveſtiri, ut abſorbeatur quod mortale eſt a vita.* Morti jam proximus, modo hæc cum
Luc. 18. 13. Publicano, *Propitius eſto mihi peccatori*; modo iſta cum Regio Vate verba uſurpabat, *Si iniquitates obſervaveris Domine,*
Pſal. 129. *Domine, quis ſuſtinebit?* modo demum fide animatus, inque Dei, ac Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti miſericordia confiſus
Pſal. 88. hæc animo & ſermone verſabat, *Miſericordias Domini in æternum cantabo.*

CIV Mortem præſentit proximã.

Die Protomartyri Stephano ſacra, ubi audivit feſtum imminere Sancti Joannis Euangeliſtæ (cujus virtutes, potiſſimum vero integritatem & caritatem æmulari ſtuduerat) mox ingenti animi gaudio geſtiens, pro viribuſque caput & vocem attollens, in hæc verba erupit: *Sancte Joannes, Magne Joannes, tuam igitur feſtivitatem celebrabo*: quibus verbis moriturum ſe ea die non obſcure indicavit.

CV Fratrum in Mabillonium officioſa caritas, quin etiã & famulorum.

Interim periclitanti Mabillonio aderant Sodales omnes; nec, niſi aut divinorum officiorum, quæ nuſquam ſui gratia interturbari voluit, aut exercitiorum regularium cauſa, ab eo diſcedebant. Haud abſimili in eum ſtudio & adfectu ducti famuli omnes, quo cibo vel ſomno indulgerent ab eo divelli vix poterant; diuque ac noctu juxta illum excubare atque ad

mor-

mortem uſque ei adeſſe ſummopere cupiebant, miniſtrare geſtiebant. tantum amabant, quem humilem perinde ac humanum non ſine admiratione experti toties fuerant. Ex iis uni, cujus mores optimos ac eximiam pietatem probe noverat, conſilia profeſſioni ſuæque ſaluti congrua roganti haud denegata voluit; diuque illum hortatus, qua ratione Chriſtianæ vitæ officia digne obire, moreſque deberet efformare ſuos, mira caritate edocuit.

CVI Monita ſalutis viro eccleſiaſtico data.

Multa memoratu digna, eaque ad pietatem accendendam non parum utilia, quæ, imminente jam morte, protulit Mabillonius, tacitus prætereo, quippe non ſatis accurate collecta; ea tantum memoraturus, quæ juniori eccleſiaſtico conſanguineo ſuo (ad cujus efformandos mores non parum ſtudii contulerat ac laboris) pia atque ſalubria præbuit vitæ eccleſiaſticæ documenta. & primo quidem illum ad Dei, qui ſperantes in ſe numquam deſerit, fiduciam & humilitatem plurimum adhortatus, ſubjecta potiſſimum documenta commendata ipſi voluit. *Fili*, inquit, *quis ac qualis ſis, animo numquam excidat tuo; proque certo habeas, parem te apud Deum humilitati gloriam adepturum. Chriſtiani viri decus in eo ſitum intellige, ut ſeipſum probe cognoſcat, miſeriam ac infirmitatem profiteatur ſuam,*

quæ

quæ mundus offert blanda licet ac præclara flocci faciat, aſpernetur honores, divitias, ampliſſimoſque dignitatum gradus; pro Chriſti amore deprimi, & adverſa quæque ferre gaudeat, immo cum Apoſtolo glorietur. Humilitas, humilitas, in omnibus humilia teipſum. amat Deus de ſtercore erigere pauperem, *dejicere ſuperbum*, potentes de ſede deponere, & exaltare humiles. Alta a longe cognoſcit, *humilibus infundit gratiarum chariſmata, regna cœleſtia parat*, beatos *prædicat* pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. *Virtutum omnium comes eſt ac moderatrix humilitas, greſſus ipſa dirigit, componit oculos, vocem temperat, cuncta demum in homine Chriſtiano rite moderatur. In omnibus, iterum dico, humilia teipſum, paupertatem cole, ama ſimplicitatem. pauper natus es, pauper quoque forſitan morieris: non alia quam inviſibilia in votis habeas gratiæ bona.* Divitiæ ſi affluant, noli cor tuum apponere. *Sis in habitu ſimplex, in ſupellectile modeſtus, moderatus in rebus etiam licitis. A propria cave cupiditate*, malorum *enim* omnium radix cupiditas. *paupertati quæ Dei dona conciliat, potiſſimum ſtude. Dilige veritatem, eſto ubique verax, ubique ad religionem uſque ſincerus. præclarum ſane ac vere magnum donum eſt veritatis amor: precibus ac gemitibus obtinetur. Ne deficias in magnis, parva numquam deſpicias. Eſto vigilans & ſollicitus,*

tus, omnique cuſtodia ſerva cor tuum, quia ex ipſo vita procedit.

Inter ea invaleſcit febris, variiſque ſimul malis pene confectus Mabillonius, gravi ſopore ſeu potius deliquio corripitur. quo non parum permotus, Monachum doctrina perinde ac pietate conſpicuum, eique dudum familiarem, ut juxta illum excubaret enixe rogavi. hunc de rebus cœleſtibus, deque ſupremo quod jam jam oblaturus erat vitæ ſacrificio vix loquentem audivit, cum reſumpto ſpiritu, de hujus ipſe ſacrificii præſtantia, neceſſitate, integritate, aliiſque, quibus acceptum Deo fiat, opportunis dotibus non ſine adſtantium ſtupore, egregie admodum cœpit diſſerere, Sacræ Scripturæ, Sanctorumque Patrum ad rem prorſus accommodatas ſententias in medium proferre, demumque oſtendere, qua ratione Chriſtianus quilibet cruci cum Chriſto configi debeat, ut ſimul cum eo æterno Patri offerri mereatur. habens in deliciis ſanctos libros, cum Joanne recumbebat ſupra pectus Jeſu, ac nonnulla quæ aſſiduus ſcrutabatur, ſuiſque animadverſionibus illuſtrabat, Scripturæ loca ſibi interdum legenda curabat, ex quibus quo vota tenderent ſua non obſcure ſignificabat. nihil demum non agebat quo *veniente Sponſo, ornatis cum eo lampadibus introiret ad nuptias*. Hinc ſciſcitanti Præpoſito utrum

CVII
Pii animi ſenſus.

trum cœleſti iterum pabulo refici vellet; illud ſe toto mentis adfectu ſuſcepturum reſpondit; moxque, qua præditus erat eximia pietate, mentem adornans, hoc potenti ſane viatico, quo ſalutis humanæ hoſtis detegat inſidias, impetus frangat, aperiat artes, iterum muniri non mediocriter gaudet.

CVIII Sacrum audit.

Sacrum ſubinde audiens, Miſſæ orationes cum Sacerdote recitavit, ea pietate animique contentione, quam ſanus quiſque ferre vix potuiſſet. Communioni Sacræ proximus, Chriſtum qua par erat reverentia adoraturus pro viribus erexit ſe, ac facta confeſſione, ſolitiſque Eccleſiæ precibus ſingulari prope humilitate recitatis, Dominicum Corpus ſuſcepit non ſine interna ſuavitate, ac ingenti quem celare non poterat pietatis lætitiæque ſenſu. Totus exinde in ſe rediens, divinis laudibus continuiſque pro tanto beneficio gratiarum actionibus occupatus divina recitantibus officia pro viribus ſe adjunxit. atque ubi ad pſalmos & cantica perventum eſt, ea potiſſimum ad extremum uſque ſpiritum ingeminavit, quæ gratum in Deum animum magis aperiunt, qualia iſthæc ſunt: *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula. Benedicite Angeli Domini Domino. Benedicamus Patrem, & Filium cum Sancto Spi-*

Spiritu, laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula. Benedictus es Domine in firmamento cœli, & laudabilis, & glorioſus in ſæcula. Iis mentem paſcebat ſuam jam jam moriturus Mabillonius: animum autem præ doloris acerbitate ab oratione interdum relaxanti legebatur brevis aliqua oratio, aut Sacræ Scripturæ locus ad patientiam corroborandam magis accommodatus, quem ipſe cum intermiſſis pſalmis & canticis reſumebat, ſubjecta Joannis Apoſtoli verba identidem interſerens, *Veni, veni Domine Jeſu, veni.* Exhibitam ſibi quandoque Chriſti e cruce pendentis imaginem ſingulari prorſus adfectu arripiens, nunc pedes, nunc latera, nunc manus, nunc ſacratiſſimum Crucis lignum eximia pietate oſculabatur. In me aliquando hæc Apoſtoli verba proferentem, *Chriſto confixus ſum cruci*, nec alia proſequentem amanter oculos convertens, benigneque increpans, quæ caſu omiſeram, ipſe proſecutus eſt: *Vivo ego jam non ego, vivit vero in me Chriſtus.*

CIX
Ultima ejus verba.

Penitus tandem deſperata ſalute, ac hora qua ab invicem divelli oportebat, inſtante, benedictionem roganti non indulſit modo, verum etiam quæcumque in ipſum forte peccaveram, aut per diuturnam cum eo conſuetudinem ſi quidpiam moleſtiæ creaveram libentiſſime con-

condonavit; ſuaſque mihi ad Deum preces pollicitus, nihil ultra adjecit cum ne longiori ſermone, nimio forte moveretur adfectu, tum etiam ne mens cœleſtium jugiter dedita rerum contemplationi vel minimum alio diſtraherertur. Et quidem exinde nihil niſi neceſſarium protulit, immo ne invictum ab oratione ſpiritum relaxaret, oculos in cœlum, Deumque unice intendit.

CX
In extremis poſitus.

Interea paullatim deficienti ultima impertitur abſolutio: mihi vero utrum ad illam attendiſſet ſciſcitanti, diligenter animum ſe intendiſſe repoſuit: adeo etiam in extremis erat ſui compos, animoque præſens. Pſalmos elevatis interdum ad cœlum oculis, eo fervore ingeminabat, ut non tam prophetæ quam proprios animi ſenſus exprimere videretur. Confectum macie corpus vix hærebat oſſibus, pectus dolor laniabat: nullus interea gemitus, ac ne doloris quidem ſignum ullum; impatientia nulla, eadem vultus hilaritas; animus cœleſti lætitia delibutus, plenus divinarum laudum ſermo; cum gratias immortales agere non ceſſaret amantiſſimo Servatori, quod immerenti ſervulo ſuo crucis particulam impertiret, cum eo denique colloqui ſuaviſſime perrexit ad extremum uſque ſpiritum. *Spe gaudens* ad conſumptionem corporis, in quo peregrinabatur,

quot-

quotquot habebat partes, tot inimolabat Deo victimas; lætusque aspiciebat se in dies aliqua sui parte *Christo configi cruci.*

Hora post meridiem tertia; deficiente pene natura; solus, ut olim in Ambrosio moriente, labiorum motus advertitur. in hoc extremo vitæ discrimine; veritus, ne absentibus, qui tum vesperas decantabant, fratribus, e vita migraret, nonnullos qui juxta illum præscriptas ab Ecclesia preces recitarent convocare animus erat. verum mutato consilio, tum ne divini perturbaretur cursus officii, ac tum maxime ut Mabillonii (qui nullum sui causa intermissum umquam voluerat communitatis exercitium) votis indulgerem, rem tantisper protrahendam duxi; neque in animum inducere meum poteram, passurum Deum tam religiosi viri morientis conspectu & exemplo privari Sodales. Ne morte tamen improvisa occuparetur, solitas una cum adstantibus preces recitare cœperam, cum, decantatis vesperis, mox ad campanæ signum congregati Sodales una cum plurimis iisque pietate perinde ac dignitate conspicuis sæcularibus viris, qui mœstissimo huic spectaculo adesse dignati sunt, ad Mabillonium confestim accurrere, precesque non sine adstantium lachrymis denuo inchoatæ sunt;

Paul. in vit. S. Ambros.

quas deinde excepere aliæ multæ, quæ, perſeverante animæ certamine, recitari ſolent. Dum ultima porro in Rituali notata recitabatur oratio, ſenſim ſine ſenſu animam efflare viſus eſt. dumque ingeminaret ad Deum conſociatas preces fratrum corona, divinas ipſe laudes, intermortua licet voce, ardentiſſime perſequens, benigne ſemel & iterum aperto ore, nullo conatu aut moleſtiæ ſigno emiſit ſpiritum. mox inchoatæ univerſis amare plorantibus ſolitæ orationes. Sic inter fratrum ſimul & amicorum preces ac ſuſpiria expiravit Mabillonius; ex quibus nonnulli viro religioſe pieque adeo morienti adfuiſſe ſe non ſemel Deo gratias agentes ſibi gratulati ſunt. Equidem ſperare licet eum tanta morbi acerbitate ac diuturnitate divexatum, & ſicut aurum in fornace probatū, miſericordiam a Patre miſericordiarum conſecutum eſſe. Idipſum ſane ſperaſſe videtur qui de Mabillonii obitu non tam dolendum, quam de futuro nobis apud Deum interceſſore lætandum litteris ſuis ſignificare dignatus eſt ei jamdiu amiciſſimus S. R. E. Cardinalis Leander Coloredus. Obiit Joannes Mabillonius in Cœnobio Sancti Germani a Pratis Ann. Incarn. MDCC VII. Die 27. Decemb. paullo ante horam quintam ſerotinam, ineunte ætatis anno ſeptuageſimo ſexto.

Tranquilla Mabillonii mors.

Haud

Haud ita poſt obitum, non meo tantum, ſed omnium quoque adſtantium judicio viſus eſt Mabillonius vultu ſolito elegantior, micantiorque oculis, ſtupenti, ac ſingulare quidpiam attento animo ſpectanti ſimilis; formam denique, quam quæ in corporibus exanimis apparere ſolet, longe auguſtiorem & amœniorem in eo effloruiſſe una mecum obſervarunt viri quamplurimi. Demortuo tandem parentandum fuit. unde oſculato prius ejus pectore una cum manibus, quibus tot præclara geſſerat, corpus juxta antiquum Ordinis ritum abluitur; ſubindeque ad valetudinarii capellam reverenter delatum, diuque expoſitum, votis, orationibus, ſacrificiis, ſuſpiriiſque Sodales omnes pie proſequuntur. CXI. Demortuus Mabillonius vultu elegantior apparet.

Ubi primum tanti viri obitus tota urbe percrebuit, omnium animos mœror occupavit: nobiles juxta ac ignobiles demortuum luxerunt; mortem ejus tanquam communem jacturam lamentati ſunt, ac doluerunt eruditi omnes; immo ipſa, cui haud ignota erant præclara viri merita, quamque dum viveret ſtudioſe adeo declinaverat, Aula regia. Quid memorem Chriſtianiſſimum Regem, ſummorum virorum, ſi quis alius, æquum æſtimatorem; qui ut viventis fidelitatem eximiamque doctrinam pari cum mode- CXII. Omnium mœror de Mabillonii morte.

ſtia conjunctam commendare, ita demortuum deflere, publicoque elogio illuſtrare dignatus eſt? quid majoris Britanniæ Regem, ac Reginam, a quibus dum viveret nullis non honoribus, nullis non benevolentiæ regiæque plane benignitatis argumentis adfectus eſt? quid denique Virum undequaque ſpectatiſſimum, qui vitam hanc in publicum ſuæ erga Mabillonium amicitiæ ac exiſtimationis teſtimonium, adornari, publicique juris fieri voluit?

CXIII Mabillonii exequiæ.

Solemnes admodum Mabillonii exequias, non pendentium aulæorum magnificentia aut vana magnatum pompa, non Funalium multitudo, non magnificus feretri ſplendor, ſed cujuſvis profeſſionis, conditionis, dignitatiſque hominum frequentia illuſtravit, commendavitq; plurimum. nec inde, ut ipſe vivens in votis præſertim habuerat, interturbata ullatenus eſt, Natalitiorum Domini anniverſaria ſolemnitas: ſiquidem nocte tota ac etiam die S. Joannis in capella valetudinarii aſſervatum ejus cadaver, non inde more Ordinis in Capitulum niſi circa horam meridianam delatum eſt, ibique cuſtoditum ad finem uſque veſperarum; quibus decantatis, ritu & ordine ſolito in Eccleſiam deportatum, atque in medio Sanctuarii, quandiu in Choro decantatum eſt defunctorum officium, expoſi-

tum

tum concurrenti undique populo patuit; Interea urbanæ cohortes nobilium turmæ, religioſi Ordines, civium innumerabilis multitudo Templum Sangermanenſe implebant, qui certatim ad feretrum, quo poterant propius, accedere conabantur, ut virum hunc conſpicerent veneratione perinde, atque admiratione dignum. & quidem omnium oblectabat oculos, animoſque rapiebat, quæ ſolito lætior in eo elucebat frontis ſerenitas, atque vultus amœnitas.

CXIV Ejus integritatis fama.

Quæ porro foret apud omnes probitatis atque integritatis ejus fama, tum maxime patuit, cum modo in Capitulum, modo in Eccleſiam manus aut pedes ejus exoſculaturi, veſteſque pie lacerâturi avide omnes currebant; ex quibus qui id beneficii aſſequi non poterant, eum quod aliquandiu ſaltem conſpexiſſent, lætabundi recedebant; permulti vero pietate conſpicui viri quidpiam vel exiguum, quod uſui ei fuiſſet, ſe obtinuiſſe, geſtiebant, ſtudioſeque aſſervabant. Abſoluto defunctorum officio, precibuſque decantari ſolitis, ad tumulum ſepeliendus defertur, funus proſequentibus (præclarum ſane, ſed dignum lachrymis ſpectaculum) quamplurimis, qui Pariſios, rumore nuncio, confluxerant, Cluniacenſis ac noſtræ quoque Congregationis Monachis, aliiſque omnium pene Ordinum religioſis, viriſ-

Præclarũ Mabillonii funus.

que etiam undequaque ſpectatiſſimis, qui luminibus accenſis, eodem ac Monachi ordine, nec minori ſuper tanti viri caſu animi mœrore incedebant. mœrorem tamen non parum levabat, qua quiſque intus lætabatur, ſpes non dubia acquiſitæ ab eo ſalutis æternæ. Eo ordine, eaque ſolemni pompa ad privatum Beatæ Mariæ Sacellum intra Monaſterium poſitum, delatum eſt Mabillonii corpus; ibique non ſine adſtantium omnium precibus, lachrymis fratrum, ac litteratorum præſertim omnium mœrore, ac deſiderio conditum. Confluxit ad funus civitas fere tota; eoque apertius ad prædicandas ejus virtutes, potiſſimum vero modeſtiam cum mira eruditione conjunctam, omnium ſtudia quaſi numinis inſtinctu conſpirarunt, quo fuerat ipſe in iis occultandis ſagacior.

CXV Populi atque ornatiſſimorū virorum concurſus.

Poſtera die innumera prope pro defuncti ſalute celebrata Sacra; incredibilis ſæcularium ac regularium Sacerdotum multitudo. quam ingens porro fuerit ſive in Eccleſia populi concurſus, ſive in choro omnium prope religioſorum ac virorum inſignium frequentia vel ex triplici ſedium ordine hinc atque hinc, præter ſedilia chori, diſpoſito facile quiſque conjiciat. quilibet namque ſe choro pſallentium jungere, lachrymas ſuas ac preces cum noſtris miſcere certatim ſtudebat, quo

ſuam

ſuam in Mabillonium pietatem, obſervantiam, ſtudiumque palam faceret.

CXVI. Honores Mabillonio de mortuo delati.

Pari ſubinde honore ac pietate Mabillonio parentatum voluere pene omnes Regni Provinciæ, ac præſertim omnia tum Vitonenſis, a qua plurimum colebatur, tum noſtræ Congregationis Cœnobia, diverſorumque Ordinum, quin etiam ſæcularium Sodalitiorum, quibus haud incelebris erat, religioſæ familiæ. Illum in pulpitis concionatores, in ſuis ad populum ſermonibus Parochi, in Collegiis & Academiis Oratores & Poetæ miris certatim laudibus exornarunt: in primis vero biduo poſt obitum claruit qui in Sorbonica Academia, plaudente ac plurimum gratulante ſpectatiſſimorum hominum cœtu, Panegyricum dixit. Illum Eminentiſſimus Cardinalis Bullonius Sacri Collegii Decanus magna doloris ſignificatione proſecutus eſt, immolataque pro ejus animæ ſalute cœleſti hoſtia, iis quæ in ſua Sancti Audoeni Rothomagenſis baſilica celebratæ fuerunt, exequiis intereſſe non eſt gravatus.

Inter cæteras porro Galliarum Eccleſias excelluit, quæ illum fere a puero primis morum ac litterarum rudimentis imbuerat, Remenſis Metropolis: ſiquidem ut publicum ſuæ in illum daret exiſtimationis argumentum, conſpirantibus ultro

Canonicis, eoſdem Mabillonio, ac viris clariſſimis, delatos ex decreto Capituli voluit exequiarum honores. Exemplum ſecuti Præſules non pauci variæque Galliarum urbes, demortuo Mabillonio una cum Sodalibus noſtris parentari voluerunt. ejus denique gratia in Cœnobiis noſtris inſtaurata eſt vetus Ordinis noſtri conſuetudo, qua nempe audito Abbatum aut inſignium Monachorum obitu, mox publicis in qualibet communitate commendabantur elogiis: quibus ſubinde ad ſingula Cœnobia tranſmiſſis, ad communem dolorem, preceſque ſocias pro defuncto ſe ſe mutuo excitabant. Id in honorem Mabillonii non noſtri modo, verum etiam multi diverſorum Ordinum Religioſi, immo & ſæculares Viri abunde præſtiterunt. utque extaret diuturna facti gratia, elogia multa publice recitata, vel expoſita typis etiam commiſerunt: ex quibus nonnulla a * viris haud exigui apud litteratos nominis ſtricta & ſoluta Oratione, Græce, Latine, & Gallice concinnata, plane digna videri poſſunt, quæ ad æternum Mabillonii decus, virtutumque ac meritorum monumentum ære ſculpantur.

D.D.de la Monnoie, Herſan, Boivin, de Villiers, le Roy, le Compte, Coffin, Boſquillon, Gourdan, &c.

CXVII. Dolent exteri Mabillonii caſum.

Mabillonii caſum non una deflevit Gallia; doloris æmulas ſociaſque habuit quotquot jam tum inter ſe digladiabantur bellis undequaque graſſantibus

bus diſſociatæ Europæ nationes, in hoc ſane uno concordes, ut tanti viri memoriam publicis laudibus ubique commendarent. una hac in re fuit animorum conſenſio, una hæc Catholicorum perinde ac heterodoxorum vox, ſententia una; nulla ab utriſque non data exiſtimationis ac deſiderii ſignificatio: hinc illorum preces, inde horum præconia tum publica tum privata, ut teſtantur quamplurimæ diverſarum regionum ac præſertim Germaniæ litteræ. Effudit ſe potiſſimum litteratorum publica pietas erga hominem ad Reipublicæ litterariæ decus natum. omnibus demum mœſtitiæ argumentis, omnibus monumentis pietatis, eum certatim, Urbes, Regna, Provinciæ, Academiæ, Cœnobia proſecuta ſunt.

Quantum apud viros etiam principes, non ſolum Italiæ Litteratos moverit Mabillonius ſui deſiderium, cum ex multis Sereniſſimi Magnæ Etruriæ Ducis, ac Cardinalis Medicæi ad clariſſimum Abbatem Renaudotum, a quo uterque acceperat mortis ejus ſeriem, reſcriptis litteris, tum maxime ex iis, quas ejuſdem obitum nunciaturus Romam miſit ornatiſſimus, multiſque jam nominibus clarus Abbas Paſſionæus, facile colligitur. Tanti viri jacturam, quam nemo non doluit, quamque non publicis modo

modo luctus significationibus, sed privatis quoque precibus prosequi dignati sunt nonnulli Romanæ aulæ Eminentissimi Cardinales Præsules spectatissimi, primus omnium tota qua late patet Italia disseminavit præclari apud eruditos nominis Justus Abbas Fontaninus per subjectam, qua piæ memoriæ Theodericum Ruinartum nostrum dignatus est Epistolam, alias sæpius editam.

R. P. D. Theoderico Ruinarto M. B.

Epistola clarissimi Abbatis Fontanini.

Justus Fontaninus S. P. D.

Ubi litteris ornatissimi Abbatis Passionæi nunciatus est obitus Mabillonii nostri, a lachrymis temperare non potui. Quis enim non doleat jacturam, quam tanti viri decessu patitur Respublica litteraria, & Ecclesia ipsa, quas ille eximiis & numquam interituris lucubrationibus illustravit, nemine ex vere doctis & probis magno autori non plaudente & longissimam vitam non adprecante? Cordis mei dolorem sane maximum tibi, Vir clarissime, significare non valeo; nec equidem debeo, ne tuum augere ipse videar, dum potius duplici consideratione mulcendus est; quod nempe vir integerrimus jam apud Deum Optimum Maximum fruatur præmio, quod sanctis & doctis laboribus sibi comparaverat; quodque, te illustri successore & egregio alumno,

mno, tanto ante providerit, ne, eo abſente, diu mœreremus. Hoc non ego unus, ſed litterati omnes ſentiunt, qui utriuſque veſtrum indolem dudum perſpectam habent. Certus autem ſis velim, in hac cæterarum principe urbe, illum ſemper plurimi habitum, ſemperque habendum donec litteræ in pretio erunt, in quibus tot pietatis ſuæ & doctrinæ monumenta nobis reliquit.

Atque id ſilentio præterire minime decet, quod elapſo anno exeunte, dum Mabillonius, nobis inſciis, jam ad Superos evolaſſet, mihi teſtatus eſt Eminentiſſimus noſter Cardinalis de Coloredo, quocum eximium ſenem memoria recolebam, ſe nimirum haud ita pridem apud Summum Pontificem ſermonem habuiſſe de eodem inter S. R. E. Cardinales cooptando. quo etiam tempore Joſephus Thomaſius, qui apud nos eſt alter Mabillonius, libere faſſus eſt, Si ſibi optio daretur unum aliquem proponendi, ſe ſtatim properaturum ad Summum Pontificem, ut ad Eccleſiæ ornamentum is eſſet Mabillonius. Sed vir beatus hæc vota jam anteverterat ad honoris gradum longe præſtantiorem evocatus.

Hujus nuncii fama jam per totam urbem percrebuit; noſque de eo certiores reddidimus amicos per Italiam conſtitutos, ubi multi ex illis adhuc ſuperſunt, qui tribus & viginti ab hinc annis eum propius venerati fuerunt, cum urbes effuſæ ad eum adirent, primique ſubſellii homines ad viſenda quæque inſigniora

Cime-

Cimeliarchia, Gazophylacia, & Bibliothecas eum honoris cauſa certatim comitantes deducerent, quod ille in itinere Italico pro ſua modeſtia parce admodum indicavit.

Hæc memoraſſe libuit ad mutuum noſtri ſolatium. interim ad meum, illud ſupereſt, ut mihi in animo tuo locum illum aſſignes, quem in demortui benevolentia aſſignatum fuiſſe non uno argumento didiceram; nunc vero potiſſimum ex litteris tuis ad hunc veſtrum Procuratorem Generalem datis, in quibus me ejus nomine jam morti proximi ſalvere juſſiſti. Vale vir optime, & in tua præclara ſtudia prompto & alacri animo incumbe. te enim ſoſpite, non plane videbitur Mabillonius periiſſe. Iterum ſæpius vale. Romæ xv. Kal. Febr. MDCCVIII.

CXVIII Mabillonii obitum dolet ipſe Summus Pontifex, monetque diſtincto loco inhumandum eſſe.

Quam acerbe demum pro paterno quo Mabillonium dignabatur adfectu, ejuſdem jacturam doluerit Litteratorum princeps perinde ac patronus Clemens XI. Pontifex Maximus, hiſce ad Ruinartum noſtrum epiſtolæ verbis ſignificatum voluit Cardinalis de Coloredo. *Seriem*, inquit, *morbi & mortis illius magna ſpiritus devotione, non ſemel, ſed iterum percurrere voluit Sanctiſſimus Dominus noſter; hominemque tam præclaris imbutum moribus, tamque de eccleſiaſticis litteris bene meritum, paterno ſuſpexit adfectu: jucundumque illi eſſet ſi talem virum aliquo magis diſtincto loco humaretis, cum ipſius fama per omnia volitet ora,*

ac

ac litterati omnes quotquot Pariſios venerint interrogabunt vos, Ubi poſuiſtis eum? dolebuntque maxime ſi confuſos illos agnoſcerent cineres, qui ſingularem adeo virum, dum viveret, contexerunt, nec aliquo lapidis indicio admoneantur.

Is igitur, ſuadente modo laudato, nec umquam ſine laude nominando Summo Pontifice, præter morem at non præter meritum Mabillonio conceſſus eſt Sepulturæ locus, qui præclaris nec umquam interituris ejus in Congregationem noſtram meritis jure debebatur. Voluit enimvero humilium remunerator Deus, ut hic etiam centuplum gloriæ acciperet; iiſque, quibus primi ſubſellii homines, honoribus donaretur, qui tanto, dum viveret, humilitatis ſtudio, vanos mortalium effugerat honores, eo ſibi magis debitos, quod nec generis, nec dignitatis ſplendore, ſed virtute pariter & doctrina, ac ſingulari prope quæ in eo refulſit utriuſque conſenſione, eos demeruiſſe in confeſſo eſt apud omnes. Et re quidem ipſa quis non miretur ſimplicem monachum, nullo generis, ut dicebam, aut dignitatis titulo conſpicuum, tantum apud omnes Europæ nationes famæ & exiſtimationis fuiſſe adeptum? id nempe permiſit Deus, ut una ſua in eo dona, morum integritas, doctrina, virtutes colerentur. Et quidem divino factum conſilio

filio eſt, ut Mabillonius ad nullum umquam evectus ſit muneris aut dignitatis gradum, quamvis communi ſuffragio omnium longe digniſſimus haberetur. Hinc ad obtinendam illi regularem Ordinis Abbatiam irrito conatu tentata atque a clariſſimo Galliarum Antiſtite adhibita autoritas. Hinc demum votis parum conſona ſollicitudo, quam ad eum inter Purpuratos Patres cooptandum, una cum multis Romanæ curiæ viris graviſſimis, adhibere voluit piæ mem. Cardinalis de Coloredo, cujus jacturam probi quique nobiſcum lugent. Sic porro ab omnibus honorum ac dignitatum gradibus alienum habebat animum Mabillonius, nullum ut umquam vel intra vel extra clauſtrum ſe obtinuiſſe, non ſemel nec ſine quodam lætitiæ ſenſu, ceu de maximo beneficio, Deo Optimo Maximo gratias ageret. mereri enimvero dignitates præclarius exiſtimavit quam adipiſci; obedire quam imperare longe tutius. Et vero, ut pulchre quidam dixit, alienis non indigebat ornamentis vir ſua virtute, omniumque exiſtimatione ornatiſſimus. Hi fuere Mabillonii ad extremum uſque ſpiritum ſenſus humilitatis; iiſque, quæ humilibus repromiſſa eſt, aſſecutum confido, immarceſcibilem gloriæ coronam.

Supereſt, Vir illuſtriſſime, ut gratias tibi

tibi referam, eaſque maximas, quod ſub tuo clariſſimo nomine, hoc qualecumque opuſculum in lucem prodire volueris. te enim illud adprobante, a cunctis quoque probatum benigneque exceptum iri plane confido. Noſti præ cæteris, Vir ampliſſime, præclara viventis merita, virtutes ægrotantis, patientis moderationem, morientis denique ſuſpexiſti animi fortitudinem, pietatem, pene dixi vultus & mentis hilaritatem. egregium ſane fideque dignum, ac mihi quidem, quo cæteris fidem facerem, neceſſarium teſtimonium. Hoc tandem occurrit haud leve mihi ſolatium, quod, quem dignis ipſe laudibus proſequi non valui Mabillonium, illum uno (quæ ſumma laus eſt) omnium ore celebrari, ac litteratorum præſertim elogiis ubique commendari audiam.

Eapropter, ut tibi morem gererem, fidemque meam liberarem, eo, qui virum decet religioſum, humili nempe ſtylo, Mabillonii acta recenſui; eaque dumtaxat ex ejus editis operibus excerpta retuli, ex quibus illum mira eruditione nec minori modeſtia, viros inter ævi ſui doctiſſimos floruiſſe facile quiſque cognoſcat. Cæterum eximias ejus dotes, virtutes, opera, vaſtiſſimamque ejus eruditionem in Regia Inſcriptionum Academia elegantiſſime cunctiſque plaudentibus expoſuit

fuit ornatiſſimus D. le Boze perpetuus laudatæ Academiæ Secretarius; nihilque ſane hac in re, ſi præſcriptum Academiæ legibus tempus excurrere licuiſſet, deſiderandum reliquiſſet. viri præterea eruditi non pauci, quæcumque complectuntur Mabillonii opera, ſuis in libris accurate memorarunt; eaque de re quidpiam publica luce non indignum aliquando proditurum plane confido.

Multa eaque egregia in demortui Mabillonii laudem concinnata encomia, ac epicedia, quæ chariſſimo capiti quaſi tot corollas contexuere amici quamplurimi, adornata demum a viris eruditis elogia, quæ in medium proferri mererentur, Mabilloniumque non parum exornarent, miſſa facio: quippe, Vir Clariſſime, non tam Mabillonii laudes, quam memoranda illius acta, virtutes, exempla, germanoſque & humiles animi ſenſus exhiberi tibi voluiſti. Si quam porro injunxiſti mihi provinciam, nec pro voto, nec pro argumenti dignitate ſuſtinui, id amabo non materiæ (quæ certe ampliſſima eſt) ſed imperitiæ potius meæ tribuas velim.

Ambr. in orat. de obitu Theodoſii pag. 1199.

Ergo Mabillonius *receſſit a nobis, ſed non totus receſſit; reliquit enim nobis liberos ſuos, ſubjectos ſcilicet libros, in quibus eum debemus agnoſcere; & in quibus eum & cernimus, & tenemus.*

CATALOGUS
OMNIUM
MABILLONII
OPERUM.

Sancti Bernardi opera omnia. Parisiis ann. 1667. *to.* 2. *in fol.*

Eadem eodem anno to. 8. *in* 8°

Eadem secundis curis edita Parisiis. ann. 1690. *to.* 2. *in fol.*

Acta SS. Ordinis S. Benedicti per sæculorum classes distributa. Parisiis ann. 1668. *& seqq. to.* 9. *in fol.*

De Re Diplomatica cum figuris &c. Parisiis ann. 1681. *in fol. majori.*

Editio secunda ab ipso autore recognita, emendata, & aucta. Parisiis 1709. *fol. majori.*

Supplementum ad libros de Re Diplomatica cum figuris &c. Parisiis ann. 1704. *in fol. majori.*

Annales Ordinis S. Benedicti cum variis Instrumentis, & antiquis Monumentis in appendicibus relatis. in fol. Parisiis ann. 1703. *& seqq. to.* 4. *in fol.*

Volumen quintum opus posthumum. Parisiis ann. 1713. *in fol.*

Liturgia Gallicana &c. cum disquisitione de

curſu Gallicano &c. Pariſiis an. 1685. *in* 4°

Muſeum Italicum, ſeu Collectio veterum Scriptorum ex Bibliothecis Italicis. in primo tomo præmittitur iter Italicum litterarium; in ſecundo Commentarius in Ordinem Romanum. Pariſiis an. 1687. & 1689. *to.* 2. *in* 4°

Duo ſcripta de Jure præcedentiæ Benedictinorum ſupra Canonicos Regulares in Comitiis Burgundiæ. 1687. *in* 4°

Eadem Scripta, in Latinum translata a D. Hermanno Sckenk.

Epiſtola de primario Romarici-montis Inſtituto. Pariſiis ann. 1684. *in* 4°

Tractatus de Studiis Monaſticis. Pariſiis ann. 1691. *in* 4°

Idem. Pariſiis to. 2. *in* 4°

Idem in 12. *Bruxellis an.* 1692.

Idem Italice verſus ſub hoc titulo: Scuola Mabilloniana *&c.* dal P. Maeſtro Nicola Girolamo Ceppi Agoſtiniano. In Roma ann. 1701. in 12.

Idem in Latinum translatus a R. P. Udalrico Straudigl. Campoduni ann. 1702. *in* 12.

Idem in Latinum translatus a P. D. Joſepho Porta. Venetiis in 4°

Item ex eodem tractatu, Dubia hiſtorica &c. latinitate donata a D. Hermanno Sckenk edita in Germania in 4°

Ani-

Animadverſiones ad tractatum de Studiis Monaſticis. Pariſiis ann. 1692 *in* 4°

Eadem. Pariſiis 1693. *in* 12.

Epiſtola encyclica de obitu Mariæ de Blemur Sanctimonialis Benedictinæ. in 4°

Euſebii Romani epiſtola de cultu Sanctorum ignotorum. Pariſiis 1698. *in* 4°

Item altera editio, eodem anno ibidem in 12.

Eadem a variis autoribus in Gallicum idioma converſa. Pariſiis, Bruxellis, Turone, Gratianopoli &c. in 12.

Altera item editio typis edita Trajecti.

Eadem in Gallicum ſermonem translata ab Abbate le Roy. Pariſiis 1705. *in* 12.

De Azymo & Fermentato ad Eminentiſs. Cardinal. Bona. Pariſiis ann. 1674. *in* 8°

Vetera Analecta. Pariſiis an. 1675. *& ſeqq. to.* 4. *in* 8°

Diſſertatio de Monachatu S. Gregorii M. ad eruditum Valeſium ex primo tomo Analectorum ſeorſim edita. in 8°

Eadem recognita, in appendice tom. 1. *Annalium.*

Iter Germanicum in tomo 4° *Analectorum editum*

Animadverſiones in Vindicias Kempenſes. Pariſiis 1677. *in* 8°

Epiſtola Bleſenſi Epiſcopo inſcripta de Lachryma, ut vocant, Vindocinenſi. 1700 *in* 8°

Sancti Bernardi de Consideratione jussu Clement. XI. Pontificis Maximi. Parisiis an. 1701. *in* 4°

Mors Christiana, Reginæ Majoris Britanniæ nuncupata. Parisiis in 12. *Gallice.*

Tractatus de vocibus Missæ & Communionis, *in Regula Sancti Benedicti adhibitis. Parisiis an.* 1689. *in* 12. *Gallice.*

Regulæ Sancti Benedicti, & Constitutionum Stephani Poncher Gallica versio in gratiam usumque Sanctimonialium Calamensium, vulgo de Chelles. *Parisiis* 1697. *in* 18°

INDEX RERUM.

A

ABbates de Mourry, de la Pierre, & Beatæ Mariæ in Germania. pag. 68
Abbates S. Floræ Aretinæ, Proculi, & Joannis Mabillonium honorifice excipiunt. 77
Academiæ Regiæ Inſcriptionum in Mabillonium adfectus. 178. Elogium ejus edit. ibidem.
Acta Sodalium publicare a Monachis S. Mauri alienum. 3
Acta Ordinis S. Benedicti. 26. Vide Præfationes.
Adalhardus Corbejenſis Abbas. 17. 18. Ejus ope ſanatur Mabillonius. 18
Aguirre Cardinalis Joſephus laudatus. 52
Albericus Monachus Euchariſtiam defendit. 195
Alcuinus. 37. 38
Alexander VIII. Mabillonio favet. 53. Studia monaſtica approbat. 109
Algerus Cluniacenſis Euchariſtiam vindicat. 195
Amandus Regulæ Benedictinæ apud Belgas propagator. 32
Ambroſii S. corpus Mediolani aſſervatum. 87

INDEX

Analecta. 54. 55
Annales. Vide Benedictini.
Anianenſis Abbas Benedictus regularem diſciplinam reſtaurat. 37
Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus. 203
Antiſſiodorenſe Cœnobium. 39
Aubuſſon Georgius Remenſis Archiepiſcopus. 6
Auguſtini S. corpus Papiæ aſſervatum. 87
Aurelianenſis Ducis in Mabillonium humanitas. 125. 126

B

Bacchinus Benedictus. 81
Baluzius Stephanus. 54
Barbadicus Cardinalis Gregorius. 78
Baſilica Remenſis cæterarum Galliæ norma. 7
Beda Venerabilis. 4
Belvallenſis Abbatiæ ſitus. 3
Benedictus & Bernardus SS. laudati. 86. 179
Benedictini Monachi. 34. eorum ope florent cum pietate ſcientiarum ſtudia. 167. 168. defendunt catholica dogmata. 189. eorum Regulæ per Gallias propagatio. 38. Regulæ verſio. 164. Diſciplinæ inſtauratio. 37. Regulæ diverſæ. 30. 31. Pontifices. 165. Scholæ. 38. Scriptores. 40. Annales. 185. 186. 187. 188. 189. 190. 192. 193. 196. 197.
Bernardi S. Libri de Conſideratione. 126
Beverinus Bartholomæus. 81
Bibliothecæ Romanæ celebriores. 83. 84

Bigo-

Bigotius Emericus. 54
Blanchinus Franciſcus. 84. 133
Blemur Maria Sanctimonialis. 164. *ejus opera.* *ibid.*
Boivin. 232
Bollandiani. 43
Bona Cardinalis Joannes novam S. Bernardi editionem laudat. 23. *Acta SS. Ordinis eorumque methodum approbat.* 48
Bonamicus. 81
Bononia. 71
Boſquillon. 232
Boucherat Franciæ Cancellarius. 103. 104
Bouchier Remenſis Eccleſiæ Præpoſitus. 4
Bourlon Carolus Sueſſionenſis Epiſcopus. 13.
Bozius Mabillonium elogio commendat. 178. 240.
Britanniæ Rex Jacobus II. Mabillonio favet. 141
Bruno S. Cartuſienſium inſtitutor. 167
Bullonius Cardinalis Emanuel Theodoſius Miſſam pro defuncto Mabillonio celebrat, ejuſque exequiis adeſt. 231
Burgundiæ Ducis in Mabillonium benevolentia. 125

C

Canonicæ Romari-montenſes. 173
Canonici Regulares. 115. 116
Cangius Carolus. 54
Capaſſius Gerardus. 81
Capetus Hugo eligendorum Abbatum regularium facultatem Monachis reſtituit. 166

INDEX

Carolus Magnus laudatus. 34. *ejus in rem litterariam merita.* *ibid.*
Carpius Marchio Prorex Regni Neapolitani. 77
Carpineus Cardinalis Gaſpar Martyris corpus erui jubet in gratiam Mabillonii. 85
Caſanata Cardinalis Hieronymus. 85
Caſinenſium in Mabillonium ſtudium. 77. *eorum Cœnobium cura Summorum Pontificum inſtauratum.* 34. *Patriarchium Lateranenſe olim habitabant.* 189
Catholici & heterodoxi Mabillonii candorem prædicant. 134. *eum mortuum deflent.* 233
Cella ſubterranea S. Mauri. 8
Ceppius Auguſtinianus. 98
Cimeliarchium Sandionyſianum. 21
Clarevallenſe Cœnobium. 180. 181
Clemens XI. laudatus. 49. *ejus litteræ in gratiam Actorum Ordinis.* *ibid.* *in laudem Studiorum Monaſticorum.* 109. *Annalium.* 188. *ad iſtos continuandos Mabillonium hortatur.* 187. *ejus in Mabillonium exiſtimatio.* 133. *ejus juſſu eduntur Bernardi libri de Conſideratione.* 165. *Mabillonii jacturam deflet.* 236. *eo innuente diſtincto loco humatur Mabillonius.* 237
Cluniacenſis Congregatio. 166
Cointius Carolus. 36. 43
Colbertus 70. *Bapt. opus de re diplomatica laudat.* 62. *Mabillonii opera utitur, præmia ei offert.* *ibid.* *Illum in Burgundiam, ſubinde in Germaniam mittit.* 66
Communionis vox quid in Regula S. Benedicti ſignificet. 171. 172

Con-

Confessiones pugnis olim præmitti solitæ. 35
Controversia inter Aurelianenses Episcopos & Abbates Floriacenses. 168
Controversia de cultu Imaginum. 37
Controversiæ sæculi noni. 39
Conversio Germanorum per Benedictinos. 188
Corbeja vetus. 14. *ejus Bibliotheca.* 16
Cunegundis Imperatrix pudicitiam suam probat per ignitum ferrum. 169
Christina Alexandra Suecorum Regina Mabillonium colloquio dignatur. 83. *Bibliothecam ad ejus usum reserari jubet.* 84

D

Diplomaticæ rei dignitas & utilitas. 56. 57. *prima diplomatici operis editio.* 59. *probatur.* 60. *illud laudat Papebrochius. ibid. Impugnatur.* 61. *vindicatur. ibid. a Colberto plurimi æstimatur.* 62. *iterum impugnatur.* 184
Duellum a quibus olim adhibitum. 169
Durandus Troarnensis Eucharistiæ defensor. 194

E

Ecclesia nunquam a Deo deseritur. 41
Ecclesiæ status decimo sæculo. ibid.
Ecclesiæ Remenses cur a Flodoardo Basilicæ nuncupatæ. 7. 8
Editiones SS. Patrum laudat Summus Pontifex, eas promovent Præpositi nostri. 24
Erasmus a Cajeta Casinensis laudatus. 81

Estræus

Eſtræus Card. Cæſar Mabillonium diligit. 83. 203
Etruriæ Dux Mabillonium honorifice excipit. 75. 86
Euchariſtiæ fides a Benedictinis vindicata. 189
Europæ ſtatus octavo ſæculo. 87
Exemplorum bonorum utilitas. 158
Exteri omnes Mabillonii jacturam deflent. 233

F

Fabrettus Raphael. 84. 85
Faurus Franciſcus Ambianenſis Antiſtes. 13
Feliciana hæreſis damnatur. 37
Ferrarienſe Cœnobium. 39
Filioque, *verbum a Gallis ſymbolo additum.* 37
Floriacenſe Cœnobium. 30. *ejus Bibliotheca.* 174
Floriacenſis Abbo. 167. 168
Florentinorum monachorum & Fulienſium amica contentio. 77. 78
Fontanellenſe Cœnobium. 39
Fontaninus Juſtus rem diplomaticam vindicat. 62. *delatos Mabillonio honores memorat.* 80. *Dolorem ſuum de Mabillonii obitu litteris ad Theodericum Ruinartum aperit.* 234
Fulbertus Carnutenſis Epiſcopus. 168
Furſtemberg Ferdinandus Paderbornenſis Epiſcopus. 53

G

Gallia demortuum Mabillonium dolet. 232
Galliæ ſtatus octavo ſæculo. 33. 34
Gualterius Cardinalis Philippus Antonius. 133. 134
Geiſſerius Mabillonio conjunctiſſimus locupletandis Annalibus ſtudet. 71
Gelaſius II. Pontifex. 165
Geneſius. 81
Gerardus Abbas Silvæ Majoris. 167
Gerbertus Aurelianenſis monachus. 168
Germain Michael Mabillonii ſocius. 67
Germanorum ex Mabillonii adventu lætitia, in illum & Ordinem amor. 68
Gerſen Joannes Abbas Vercellenſis. 116
Gezo Dertonenſis Abbas. 195
Gonzata. 81
Gourdan. 232
Gorzienſe Cœnobium. 39
Gregorius IV. Pontifex. 29
Gregorius VII. cœlibatum reſtituit. 166
Guiniſius Fabius Ravennæ Archipræſul Mabillonium comiter excipit. 78
Guitmundus divinæ Euchariſtiæ vindex. 194

H

Herbelotius Bartholomæus. 54
Herovallius VVion. ibid.
Herſan. 232
Hirſaugienſe Chronicon. 70
Hiſpaniæ ſtatus. 33

Ho-

Homelinus Redonenſis Epiſcopus. 169
Honores Mabillonio delati in Germania. 68. 69. *In Italia.* 75. 76. 77. 78. 79. 80. *honores eidem demortuo delati.* 231. 232. 233. 234. 235.
Hugo Cluniacenſis Abbas. 167

I

Jeſuitarum in Mabillonium humanitas. 83
Ignorantia quantum noceat. 191
Indicia martyrii. 131
Innocentius XII. ſtudiis monaſticis favet. 109. *iis monaſterium deſignari jubet.* 110
Joanna Guerin Mabillonii mater. 3
Italia Mabillonium honorifice excipit. 75. *demortuum luget.* 233
Italiæ in exteros humanitas. 75
Iter Germanicum. 67
Iter Italicum. 74

K

Keptenſis Abbas. 68

L

Lanfrancus hæreſi Berengarii ſe opponit. 194
Lauretana Eccleſia. 87
Lazzarinus Dominicus pro vindiciis diplomatum ſcribit. 61
Lectionarium vetuſtum ritus Gallicani. 72
Leo IX. Pontifex Canonum ſcita reſtituit. 166

R E R U M.

Lotharingus Cardinalis Carolus Seminarium Remenſe inſtituit. 6
Ludovicus XIV. Rex Galliarum Mabillonium laudat, demortuum deflet. 227. 228
Lupi Ferrarienſis in adverſarios humanitas. 191. 192

M

Mabillonius 70. *naſcitur.* 3. 4. *ab avunculo eruditur.* 4. *Remos ſtudiorum cauſa mittitur. ibid. Sodalibus virtutis exemplar proponitur.* 5. *ejus progreſſus & animi dotes. ibid. Publicè dicit.* 5. *Clericali militiæ adſcribitur, Remis Theologiæ ſtudet, Magiſtri artium laurea inſignitur, Chori miniſterium amat.* 6. *quantum diſcendis ritibus intentus.* 7. *Remenſes Eccleſias frequentat.* 8. *Decollationem S. Jo. Baptiſtæ præcipuè colit, Remenſe Archicœnobium lętus adit.* 9. *habitum ſuſcipit.* 10. *Profeſſionem emittit. ibid. Ardor pietatis.* 11. *campeſtre Cœnobium adire cogitur. ibid. Vincentii Marſollii merita ſcriptis mandat.* 10. *ſub ejuſdem diſciplina eruditur.* 11. *exemplo ſuo tirones animat, ardori ejus pietatis non reſpondent fluxæ corporis vires, capitis doloribus divexatur. ibid.*
Mabillonius in Monaſterium Beatæ Mariæ de Novigento mittitur. 12. *Minores Ordines ſuſcipit.* 13. *vilioribus curis delectatur.* 14. *Eccleſiæ pavimentum effodit, Corbejam veterem mittitur. ibid. ejus ingenium rei antiqua-*

riquariæ natum. 14. *amor in pauperes.* 15. *ad Sacerdotium promovetur. ibid. Præcipuum ſtudium.* 16. *Corbejenſem Bibliothecam frequentat. ibid. ſtudet hiſtoriæ Adalhardi, cujus opè ſanatur.* 17. *illum præcipue colit, in ejus honorem hymnos condit.* 18. *rerum temporalium curam deponit.* 18. 19. *Ad Sandionyſianum Cœnobium mittitur.* 20. *Cimeliarchæ munere fungitur. ibid.*

Mabillonius S. Bernardi opera cum MSS. confert. 21. *editionem parat.* 22. *Socius D. Lucæ de Achery Spicilegio collaborat. ibid. fama ex hac editione parta.* 23. *Alteram S. Bernardi editionem concinnat.* 24. *tertiam S. Bernardi editionem meditatur. ibid. Acta SS. Ordinis edit.* 25. *cur ab iis hiſtoriam Ordinis inchoaverit. ibid. Litteratos per epiſtolam monet de ratione operis.* 26. *In aliorum opera ſuos labores confert. S. Petri Cellenſis editionis præfationes adornat. ibid. ejus oratio in laudem Reginæ Annæ Auſtriacæ.* 26. *In Acherium obſervantia.* 27. 28. *Monachos vi. & vii. ſæculi Ordini adſerit.* 36. *Catholicos & heterodoxos ſibi conciliat.* 42. *Adverſa moderate ſuſtinet.* 43. *ejus ſtudium veritatis.* 45. 46. 47. *partes tuentur Præpoſiti noſtri.* 48. *Diſſertationem de Pane Azymo & fermentato elucubrat.* 50. *eidem opera nuncupantur.* 51. 52. *Analecta publicat.* 54. *Cum eruditis conſuetudinem init. ibid. opus de re Diplomatica evulgat.* 59. *ſupplementum edit.* 61. *a rerum cupiditate alienus.* 62. *inter Beneficiarios Regis deſcribi recuſat.*

ſat. ibid. paupertatis ſpecimen ſingulare præbet. 63. ſtudium paupertatis. 64. caritas erga Pauperes. 65.
Mabillonius in Burgundiam ſe confert. 66. iter Germanicum ſuſcipit. 67. ei ubique patet facilis ad Archiva aditus. 69. Autographum Chronici Hirſaugienſis a ſe repertum, edendum ſuadet. 70. vetuſtum ritus Gallicani lectionarium evulgat. 72. juſſu Regis ad iter Italicum ſe accingit. 73. Normanniam petit. 74. in Italiam profectus magnis in ea honoribus afficitur. 75. A Magno Etruriæ Duce honorifice excipitur. 76. A litteratis viris colitur. 79. erga Litteratos Italiæ gratus. 80. 81. 82. Bibliothecam Oratorii Romani frequens adit. 84. Fit Conſultor Sacræ Congregationis Indicis. 85
Mabillonii pietas in perluſtrandis Sacris Italiæ locis. 86. 87. mentis ejus collectio. 88. accurata in itinere obſervantia. 89. zelus. 90. in recitando officio pietas, probandis ubique moribus cura. ibid. Pia exercitia ejuſque mores. 91. ex Italia in Gallias remeat. 94. Muſeum edit. 94. 95. tractatum elucubrat de Studiis Monaſticis. 96. ſuam de iis ſententiam vindicat. 103. Animadverſiones in Abbatem de Trappa. 104. ejus modeſtiæ ſpecimen ſingulare. 105. Abbatem Trappenſem adit. 106. eum laudat Abbas Marſollier. 107. moderatio ac prudentia Chriſtiana. 113. jura præcedentiæ contra Canonicos Regulares vindicat. 115. Librum de Imitatione Chriſti ſuis autori

&

& Ordini adſerit. 116. pacis ſtudium. 117. humilitas & caritas. 118. 119. in adverſarios humanitas. 120. quam humilis in adornandis operibus. 122. In Eccleſiam & Sedem Apoſtolicam obſervantia. 123. pietatis ſpecimen. ibid. fuga laudis. 124. 125. modeſtiam & doctrinam commendant viri Principes. ibid. Bernardi libros de conſideratione edit. 126. 127. Epiſtolam evulgat de cultu Sanctorum. 128. Novam hujus epiſtolæ adornat editionem. 131. 132. zelus pro converſione hæreticorum. 135. Epiſtolam ſcribit fratribus Anglis catholicis. 137. fidem ſuam vindicat. 138. 139. zelus pro Religione & Miſſionariis Apoſtolicis. 140. Britanniæ Regem Jacobum II. præcipue colit. 141. Propagandæ religionis cura ac ſollicitudo. 142

Mabillonius juvenum inſtitutioni promovendæ intentus. 143. ſollicitudo ejus de Parochis vicorum. 144. Orationem aſſiduam commendat. 145. Adulationem horret. 146. Solitudinem amat. 147. obſervantiæ monaſticæ tenax. 148. ad Comitia Cleri Gallicani vocatur. ibid. prudentia in dandis conſiliis. 149. conſilia expetita. ibid. laudis impatiens. 150. morbo affectus ſtudia non intermittit. 150. 151. Morti obeundæ paratus. 152. Opuſculum edit de morte Chriſtiana. ibid. ejus in perfectione progreſſus. 153. pœnitentiæ ſtudium. 155. diſciplinæ regularis ſtudioſus. 156. ad obſervantiam & vota monachos adſtrictos oſtendit. 157. regulas etiam minimas obſervat. 159

159. *ejus caritas erga proximum*. 160. *ſeceſſum meditatur*. 161. *Operum S. Cypriani editionem ſuſcipit*. 162. *Annales Benedictinos adornat*. 163. *varia ejus opuſcula*. 164. *Lachrymam Vindocinenſem vindicat*. *ibid. duo poſtrema Actorum volumina publicat*. 165. *ejus Epiſtola nuncupatoria novæ S. Auguſtini editioni præfixa*. 171. *Tractatum adornat de vocibus* Miſſæ, & Communionis. *ibid. Epiſtolam edit de primario inſtituto Romarici-montis*. 173. *ejus operum dignitas*. 174. *Stilus, & in diſcernendis operibus ſagacitas*. 174. 175. *Solertia*. *ibid. in Regiam Inſcriptionum Academiam cooptatur*. 177. *gratulando ſcientiarum Academiæ deputatur*. *ibid. Sepulchra SS. Benedicti & Bernardi perluſtrat*. 179. *Floriacenſe Cœnobium petit*. *ibid. ejus pietas erga locorum & Eccleſiarum patronos*. 180. *Clarevallenſe Cœnobium adit*. *ibid. ejus in S. Bernardum pietas*. 181. *Primum Annalium tomum in lucem profert*. 182. *Remos proficiſcitur*. *ibid.*

Mabillonius a curioſitate alienus. 183. *ejus in Eccleſiam demiſſio & modeſta confeſſio*. 195. *in morbum incidit*. 198. *ejus patientia*. 200. *Sacramentis muniri poſtulat*. *ibid. mœrentem ſocium conſolatur*. 201. *ejus in Chriſtum amor*. 202. *Pariſios revehitur*. 203. *in dolore animi tranquillitas*. 204. *mentem divino ſermone paſcit*. *ibid. Sacrum quotidie audit, nec officia in morbo intermittit*. 205. 206. *uni Deo intentus*.

207. *quo animo officioſos aditus exciperet.* 208. *cum plebeiis ultro converſatur.* 209. *mundanos ſermones illibenter audit.* 207. *Oleo ſacro inungi cupit ante Viaticum.* 211. *ejus pietas in ſuſcipiendis Sacramentis.* 212. *ſe parat ad mortem.* 213. *Natalem Chriſti Domini tranquille agit.* 214. *ſummos dolores patitur.* 215. *ejus moderatio.* 216. *mortem exhorret.* 217. *illam præſentit proximam.* 218. *monita ſalutis amico præbet.* 219. *pii animi ſenſus.* 221. *ultima verba ejus.* 223. *tranquilla mors.* 226. *demortuus apparet vultu elegantior.* 227. *Exequiæ.* 228. *Fama integritatis.* 229. *præclarum Funus.* ibid. *ejus jacturam deflet Magnus Etruriæ Dux.* 233. *innuente Summo Pontifice, diſtincto loco humatur.* 236

Magliabecus Antonius laudatus. 75. 76. 81

Marſollier Abbas Mabillonium laudat. 107

Marſollius Vincentius. 10

Mauri S. Miſſio in Gallias. 31

Mauricius Tellerius Carolus Remenſis Archiepiſcopus. 73

Maximini S. Cœnobium. 39

Metzgerus Salisburgenſis Academiæ Vicecancellarius. 70

Minorellus Thomas Maria. 81

Miſſæ vox, quid ſignificet in Regula S. Benedicti. 171. 172

Mitræ uſus Abbatibus conceſſus. 168. *non omnibus olim Epiſcopis communis.* ibid.

Monachium. 183

Monachorum Germaniæ in Mabillonium affectus. 68

Monaſteria ſcientiarum ſplendore olim conſpicua. 39. *ante ortum S. Benedicti condita.* 186
Monaſtici ſtatus antiquitas apud Belgas. 32.
Mons Caſinenſis Ordinis caput. 87
Mons-Dei Cartuſienſium Cœnobium. 3
Monumenta in Germania collecta. 72
Mummolus Gaufridus Archicœnobii Remenſis Prior. 10
Muſeum Italicum. 94. 95

N

NAtiones quæ monachiſmum ſuſceperant ante S. Benedictum. 30. 31
Neapolis. 76
Neapolitanus Prorex Mabillonium magni facit. 76. 77
Nemours Remenſis Archiepiſcopus. 5
Neuclo Corbejenſis Monachus. 40
Nicodemus Franciſcus. 81
Noailles Cardinalis Ludovicus Antonius. 147
Noriſius Henricus Mabillonio Librum nuncupat. 51
Notgerus Leodienſis Antiſtes. 168
Notkerus Santigallenſis Monachus. 40
Nuce Angelus a, Roſſanenſis Archiepiſcopus. 84

O

ODilo Abbas Cluniacenſis. 167
Odo Abbas Cluniacenſis. 40

Ordo Benedictinus propagatur. 167
Ottobonus Cardinalis Petrus Mabillonium litteris dignatur. 134
Oversham Germaniæ Monachus. 53

P

PAlatium Versallicum. 183
Palatium Ducis Bavariæ. ibid.
Papebrochius Daniel. 60
Parisienses Scholæ. 38
Parisiense Cœnobium. 39
La Parre Guillelmus Procurator Generalis. 133
Paschalis II. Papa. 165
Passionæus Dominicus Abbas. 233
Patavium. 78
Patriarchium Lateranense. Vide Casinenses.
Pelagius II. Papa. 189
Perth Dux I. 228. 239
Petrus venerabilis. 214
Pignatellus Cardinalis Antonius. 79
Placidi S. Missio in Siciliam. 31
Ponchartrain litteris Mabillonium dignatur. 177
Poncherius Stephanus Antistes Parisiensis. 164
Poppo Abbas Stabulensis. 167
Porta Josephus Casinensis monachus. 98
Præfationes Actorum Ordinis quid singulæ quæque contineant. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 37. 38. 39. 41
Præpositi S. Mauri editiones pâtrum promovent. 24. eorum de Mabillonii reparandis viri-

viribus ſollicitudo. 11. meditantur generalem totius Ordinis hiſtoriam. 25. tuentur Mabillonii partes. 48

R

RAbanus ex Abbate Fuldenſi, Moguntinus Archiepiſcopus. 40. 190
Radbertus Paſchaſius, ſcriptis fidem Euchariſtiæ defendit. 189
Ravennæ Archivum. 79
Remenſe Seminarium. 6. Archiecnobium. 9
Remenſis Metropolis Mabillonio ſolemniter parentat. 231
Remigii S. corpus. 8
Remigius monachus. 39
Renodotus Euſebius. 54
Robertus Abbas Caſæ-Dei. 167
Robertus Moliſmenſis. ibid.
Roma. 83
Roy Abbas. 134. 232

S

SAcramentarium Gallicanum, 95
Sæculum xi. 193. 194
Salisburgenſis Academia. 69
Sanctimoniales Germaniæ. 68
Sandionyſianum Cœnobium. 20. 39. ejus Cimeliarchium. 20
Sangermanenſe Cœnobium. 39. in eo moritur Mabillonius. 226
Sardiniæ Inſulæ ſtatus. 33
Schiſma Scotorum, 35

Scho-

Scholæ publicæ in Germania. 189
Scientia quantum juvet. 191. 192
Silveſter II. Pontifex. 165
Sithienſe Cœnobium. 39
Skenk Hermannus Santigallenſis monachus. 70. 98
Sirmundus Jacobus. 50
Solitudo quantum animæ conferat. 176
Spicilegii autores. 26
Spinula Cardinalis Lucenſis Epiſcopus. 79
Stabulenſe Cœnobium. 39
Stephanus Grandimontenſis. 167
Stephanus Mabillonii Parens. 3
Stephanotius Claudius Procurator Generalis Congregationis S. Mauri. 74. 75
Stephanus IX. Papa. 165
Studia Monaſtica. 96. 97. 98. 99. 100. 101. 102. 103. 104. 105. 106. 107. 108. 109
Sublacenſis ſpecus. 86
Supplementum rei Diplomaticæ. 61
Synodus Ticinenſis. 35
Synodus Gentiliacenſis. 37
Synodus Urgelitana. ibid.

T

TAnſius Seraphinus monachus Caſinenſis. 81
Theodemirus Abbas cultum imaginum vindicat. 189
Thomaſius Cardinalis Joſephus Maria. 52.
Ticinenſe Cœnobium. 39
Tractatus de Studiis Monaſticis. 97. *variæ ejus editiones.* 97. 98.

Tra-

Tractatus, quo monachi ad vota & observantiam adstricti ostenduntur. 157
Tractatus de vocibus Missæ & Communionis.
Trappa Abbas, de. 171
Turonense Cœnobium. 98. 99. 107
39

V

Valletta Josephus. 81
Vallis-umbrosa. 86
Vandelbertus Prumiensis monachus. 40
Udalricus Bavaricæ Congregationis monachus. 98
Vert Claudius de, tractatum Mabillonii impugnat. 173
Victor II. Papa. 165
Victor III. ibid.
Villiers, de. 232
Vindocinensis Lachryma. 164
Urbanus II. Papa. 156
Urbes a Benedictinis in Germania extructæ. 189
Usuardus.
Weisenburgense Cœnobium. 40
Wolphelmus Abbas. 39
195

Errores, qui irrepſerunt, ſic emenda.

Pag. 6	lin. 20	Lotharingiæ	*Corrige*	Lotharingus
19	14	Severioris		ac ſevetioris
30	24	Illirico		Illyrico
36	ad marginem	ſecundi		tertii
39	23	.....		in
39	ad marginem	tertii		quarti
49	8	dignatus		dignatus eſt
70	penultima	Metzerum		Metzgerum
72	antepenultima	Merovingiacis		Merovingicis
81	ultima	Ianſy		Ianſio
86	11	Crypta ferrata		Cryptaferratenſi
109	1	Dilecto Filio		Dilecte Fili
165	antepenult.	Paſchaſius		Paſchalis
Ibid.	11	recenſendus		accenſendus
168	12	controverſia		controverſiæ
179	ultima	quoque		quæque
182	26	imperatæ		imperatas
Ibid.	27	peropportunæ		peropportunas
194	5	illud		hoc
Ibid.	7	iſtud		illud

Ubique pro *Archivus* & *Archivia* repone *Archivo*. Cæterum quoniam, ut initio monuimus, Latinus Interpres addidit plane multa, noli mirari, ſi pagg. 181. 186. 196. quædam invenies de Ruinarto hujus Vitæ *Autore*, *quæ nec dicere ipſe* potuit, nec ita dicere debuit: ſed pro tua ſapientia dicendi ordinem ad tempora compone.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PAG. 2006777